This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

**Usage guidelines**

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

**About Google Book Search**

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Digitized by Google

N.ii.191[8] Stack

ASHMOLEAN LIBRARY
OXFORD

—

Ex Libris
EDUARD FRAENKEL
Corpus Christi Professor of Latin, 1935–53

—

1970



Digitized by Google

303648327-

Digitized by Google

Digitized by Google

SPECIMEN CRITICO-LITTERARIUM

IN

# PLAUTUM ET TERENTIUM,

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

HENRICI WILHELMI TYDEMAN,

JUR. UTR. DOCT. ET PROF. ORD.,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBLISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE

ET LITERARUM HUMANIORUM DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN PHILOSOPHIA THEORETICA ET LITERIS HUMANIORIBUS

HONORIBUS ET PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLEMNI EXAMINI SUBMITTIT

JOHANNES BERNHARDUS LOMAN,

BODEGRAVENSIS.

AD DIEM XX FEBRUARII MDCCCXLV, HORA XII—I.

IN AUDITORIO MAJORI.

AMSTELODAMI,

TYPIS JOHANNES VISSER,

MDCCCXLV.

Digitized by Google

OXFORD
MUSEUM

Digitized by Google

PARENTIBUS CARISSIMIS

SACRUM.

Digitized by Google

Digitized by Google

# PRAEFATIO.

*Erunt fortasse, qui, inspecto hoc qualicumque libello, non leviter reprehendant meam vel temeritatem vel arrogantiam, quod in prima hac virium periclitatione, artem longe gravissimam, longeque difficillimam, criticam dico, ita factitaverim, ut nulla non pagina locus vel Plauti vel Terentii conjectura tentatus, aut adversus aliorum conjecturas vindicatus sit. His ego breviter, ut res postulat, respondeo: non adeo difficilem et arduam me suscepisse provinciam, ac prima specie videri possit; nam totum quidem scriptorem ad artem criticam exactum edere si velis, sane haec omnia habeas necesse est, exquisitam doctrinam, subactum judicium, felicissimum ingenium; quibus omnibus quam mediocriter ego sim instructus probe intelligo. Sed longe res aliter comparata est, si ex uno quodam pluribusve scriptoribus loca eligas tuo arbitrio; sic enim difficiliora, quae non nisi ex intima eruditionis copia aut illustrari possunt, aut emendari, tacitus praetermittere; faciliora contra, eaque, quorum vel meliorem interpretationem, vel conjecturam magis probabilem forte fortuna inveneris, ex industria tractare potes; quamquam non dissimulo meum inceptum hoc tamen habuisse difficultatis, quod accuratam numerorum, quibus Plautus et Terentius usi sunt, mihi comparare debebam notitiam, qua destitutus quicumque his poëtis emendandis dare se velit, nae ille una opera sine pennis volare se postulet. Id igitur operam dedi, ut, quae Bentleius in Terentio suo, et Hermannus in Elementis tradiderunt rei metricae praecepta, ea cognita haberem, et ex diligenti comicorum lectione confirmarem. In dijudicando*

Digitized by Google

*autem hoc opusculo, illud teneant velim lectores, non aliud meum fuisse propositum, nisi ut progressuum meorum viris doctis aliquod specimen exhiberem. Non enim tantum mihi arrogo, ut credam ipsis me literis aliquid attulisse commodi. Nam mihi, si vel alia adessent omnia, deërat certe ejusmodi apparatus criticus, qui sufficiat ei, qui veram ubique lectionem restituere velit; librum MStum habebam nullum; ex recentiorum autem scriptis desiderabam maxime Ritschelii opuscula, (quae mihi comparare frustra studui) et Bothii editionem, cujus praeclaras quasdam conjecturas in aliorum editionibus enotatas vidi. Quod tamen vel sic ad hanc literarum partem, paulo quidem difficiliorem, sed utilissimam tamen et jucundissimam, accesserim, hoc œqui lectores summo amori, quo comicos Latinos prosequor, tribuant, non temeritati aut superbiæ.*

*Restat ut pietatis officio satisfaciam, gratumque erga praeceptores animum significem; in quo brevis ero; nam res loquar notissimas. Quis enim ex tanta juvenum multitudine, qui Lennepii, viri celeberrimi, usi sunt institutione, ignorat, vel quis non potius gratissimo animo recordatur, quam egregius ille cum ad erudiendum, tum ad acuendum excolendumque ingenium exstiterit magister? Juniorum autem, qui mecum Bosschae, viri clarissimi, scholis interfuerunt, quis est, qui non profiteatur, se plurimum inde profecisse ad interiorem linguae Graecae Latinaeque cognitionem, et ad omnem veram humanitatem? Ego certe his viris tantum me debere intelligo, quantum verbis exprimere difficile sit; nec dignas iis gratias agere possum. Quod unum possum, summis opibus annitar, ut cura et benevolentia, quam in me contulerunt praeceptores aestumatissimi, non indignus fuisse videar, votaque facere non desinam, ut Deus O. M. vitam iis largiatur in summa felicitate diuturnam.*

Digitized by Google

# PLAUTUS.

Digitized by Google

Digitized by Google

# AMPHITRUO.

Prolog. vs. 50 sqq.

*Nunc quàm rem oratum huc véni, paucis próloquar;*
*post árgumentum hujus éloquar tragóediae.*
*Quid cóntraxistis fróntem? Quia tragóediam*
*dixi futuram hanc? déus sum: commutávero*
*eamdem hánc, si voltis: fáciam, ex tragóedia*
*comóedia ut sit, ómnibus ísdem vérsibus.*

Vitium latet in verbis: *commutavero eamdem hanc.* Pronomen *eamdem*, in quo h. l. nulla est vis, nulla gratia, melius abesset. Hoc vitium cum sensisset Lindemannus, duorum codicum Guelpherbytanorum auctoritate scripsit: *commutavero eadem si voltis; hanc faciam ex tragoedia* etc., ita ut *eddem* significet *una*, *simul*. *statim*. Fateor *eadem* subintellecto *opera* saepe apud Plautum occurrere, sed idem contendo ejus vocabuli vim ab h. l. plane esse alienam; quippe indicatur eo duas res eadem opera, eodem tempore peragi, ut in ipso illo exemplo, quod ex Bacchid. (I. 1. vs. 15) attulit Lindemannus: *Eádem biberis, eddem dedero tibi ubi biberis sávium;* at nostro in loco nihil ejusmodi. Quid igitur? Mihi quidem vulgata lectio servanda videtur; ita tamen, ut post vocabulum *commutavero* major ponatur distinctio; quo facto, omnia erunt planissima, et sententia nascetur vere Plautina. Nam primum *commutavero* habebimus absolute positum, ut in Trinummo I. 2. vs. 21:



Digitized by Google

*Vin' cómmutemus? túam ego ducam et tú meam?* et quae Bentleius ad Ter. Andr. I. 1 vs. 13 attulit exempla: Rud. III. 6. vs. 27 *Numquid muto?* Pseud I 5 vs. 142 et 153: *Non démutabo.* Mil. Glor. IV 3 vs. 37. *Numquid videtur demutare?* Deinde nacti erimus locutionem: *eamdem hanc faciam ut sit,* pro eo quod est: *faciam ut eadem haec sit,* quae locutio ex Graecorum imitatione traducta, apud Plautum singulis fere paginis est obvia. Sic igitur legendum censeo, neque aliter legitur (ut postea vidi) in Weisii editione, nulla tamen adnotatione subjecta, ut nescias unde ille hauserit. Quod autem ad hiatum adtinet in verbis *faciam ex,* eum tollendum olim putabam hoc modo:

*Eamdem hánc, si voltis, fécero ex tragoédia*

ut melius sibi responderent: *commutavero* et *fecero:* nunc vero conjecturam illam violentiorem habeo.

---

Prolog. vs. 104 sqq.

*Jam ego vós novisse crédo, ut sit patér meus;*
*quam líber harum rérum multarúm siet;*
*quantúsque amator siet, quod complacitum' st semel.*

Haec Mercurius ad spectatores Jovis furta facete ridens. Versum medium interpositâ copulâ emendavit Peerlkampius vir cl. ad VirgiliumTom. I. p. 279; versui tertio ego medicas manus admovere conabor; nam vitiosum esse, etiam ubi dissimulant, fateri videntur interpretes contortis suis et in diversa abeuntibus interpretationibus. Lambinus enim explicat: *in eo, quod complacitum est semel,* Taubmanno subaudiendum videbatur *ejus,* Weisius veteres edd. secutus, scripsit: *Quantusque amator, quom quid complacitum est semel.* Mihi simplicissimum videtur

Digitized by Google

pro SIET minima mutatione legere SIEI, quo facto et sensus et versus sustentatur egregie. Nam quod ad sensum adtinet, ex versu praecedenti facile cogitatione repetas verbum *sit*; versus autem in mea lectione melius se habet, quam in vulgata, ubi tamen cum Lindemanno corrigendum erat:

*Quantúsque amator sít, | quod complacitúm'st semel.*

sic autem necessario eo adducimur, ut versum in duas partes aequales dividamus, quâ caesurâ in senariis nihil est vitiosius, nihil auribus ingratius. Ex industria hanc rem tractavit Beckerus in Quaestionibus de Comicis Romanorum fabulis p. 103 sqq, ubi versus nonnullos hoc vitio laborantes emendavit. Jam vero si meam conjecturam probaveris, legitimam habebis caesuram:

*Quantúsque amator, | si éi quid complacitúm 'st semel.*

Caeterum eodem morbo perversae distinctionis affectus est Capt. II 3 vs. 20, ubi cum vulgo legatur:

*Si nón rebitas húc, | ut viginti minas*

ego legendum conjicio:

*Si nón rebitas, | húic ut viginti minas*
*dem pro te.*

et Poen. III. 5 vs. 40:

*Manifésto fur es míhi. | Quaeso hercle operam date.*

Distingue:

*Manifésto fur es. | Míhi quaeso hercle operám date.*

---

I 1 vs. 11 sqq. (*)

Locum hunc difficillimum tractavit Hermannus in Elem. p. 459, primusque fuit qui versus 14—18 sotadeos esse

(*) In citandis versibus sequor semper editionem J. F. Gronovii.



Digitized by Google

verissime indicaret. Sed ut in his verum vidit vir magnus, et a nemine adhuc est refutatus, ita in reliqua cantici parte constituenda, vereor ut sibi ipse plane satisfecerit; mihi quidem (non inique feret vir praestantissimus, me libere sententiam dicere, cum uno veritatis studio duci me patiar) mihi igitur persuasum est vs. 11 12 et 13 non recte ab Hermanno esse constitutos; sed ejusmodi controversiae cum penes aures potissimum sit judicium, facile apparet hanc rem plerumque non tam certis argumentis confici, quam auctoritate et uniuscujusque sensu; bonum igitur factum, quod nostro in loco ex ipsa sententia peti potest ejusmodi argumentum, quo satis, ni fallor, refutatur Hermanni in his versibus constituendis ratio. Sosia servus ab hero suo Amphitruone in patriam nuper reduce praemittitur noctu ad uxorem ejus Alcumenam, ut eam de viri adventu faciat certiorem. Cum autem periculosum esset illis temporibus noctu iter facere, servus meticulosus cum pericula illa commemorasset, his verbis herum suum incusat:

*Haec heri immodestia coegit, me qui hoc*
*noctis a portu ingratiis excitavit.*
*Nonne idem hoc luci me mittere potuit?*

In versu tertio *hoc* accusativus est, quemadmodum Cas. III 5 vs. 43 legitur: *id missa sum*, et in hac ipsa fabula (III 2 vs. 28): *id huc revorti*; atque sic passim apud nostrum. Sed hoc quidem constat, illud vero ambiguum est, quo pertineat pronomen *idem*. Video enim recentiores interpretes ad unum omnes *idem* habere nominativum masculinum; at ego non dubito, quin accusativus sit neutrius generis arctissime jungendus cum pronomine *hoc*. Nam si per *idem* Amphitruo indicatur, nullam ob causam ejus persona hoc pronomine insignitur, quandoquidem non id indignatur servus, quod ab *Amphitruone* potissi-

Digitized by Google

mum noctu erat missus, qui *idem* etiam luci mittere potuisset; sed quod ob *eam rem*, quam *eamdem* etiam interdiu potuisset efficere. Nec servus ad herum suum dixisset: » Tu noctu me mittis, at tu idem poteras me » mittere luci;" hoc enim nemo umquam in dubium potest vocare; sed ita locutus esset: » Cur tu hoc noctis » me mittis, cum praesertim idem illud negotium etiam » interdiu tibi effectum dare possim?" Recte igitur Lambinus explicat *propter hoc idem: seu propter eamdem hanc rem.* Jam vero si *idem* neutrius est generis, non recte se habet hic versus Hermanni, Ionicis constans numeris:

*ingrátiis excitát: nonne ídem*

ubi *idem* priorem producit, cum in neutro semper corripiat. Hermannianam igitur horum versuum dispositionem repudio; neque id invitus; cum nec satis de metro illo constet, nec ipsi versus satis venusti ad aures accidant; non meas tantum, sed novissimi quoque interpretis, qui hic mirificas licentias Plauto affingere maluit, quam Hermannum sequi. Verum quanto facilius sit alios reprehendere, quam meliora ipsum excogitare, ego hic quoque expertus sum; universum certe canticum constituere nondum possum; vix tamen dubito quin tres hic lateant trochaici dimetri acalectici, quo metro Plautus, nisi me fallit conjectura, aliquanto saepius est usus, quam vulgo putatur; cujus rei infra quoque exempla dabo. Hic igitur legendum fortasse:

*Nón me idem hoc lúci mittere pótuit?*
*O'pulento homini hoc sérvitus dura' st,*
*hóc magis miser est dívitis servus.*

Pro *nonne* scripsi *non me;* sic infra (II 1 vs. 78) omnes libri praebent *nonne intelligis?* unus tantum vetus codex, cujus magna est auctoritas: *non me intelligis?* Eodem

Digitized by Google

modo erratum etiam est II 1 vs. 93 ubi pro *Tu me* Codex Gu. I habet *Tune*, et sic saepe.. Deinde ante verbum *servitus* expunxi illud *magis*, quod Camerarius contra libros, ut videtur, induxerat; servavi autem HOC *servitus*, neque cum Hermanno et Lindemanno mutaverim HAEC *servitus*, siquidem hic quoque pronomen significat *ob hoc* sive *ideo*; nec sine vi et gratia pronomen illud iteratur. Fortasse vs. 7 ad eamdem normam disponendus est, in hunc modum:

*ita quasi incudém me miserum*
*hómines octo válidi caedant.*

---

I. 1 vs. 25.

Me. *Sum véro verna vérbero*. So. *Numeró mihi in mentém fuit dis ádvenientem grátias pro méritis agere atque álloqui.* Verba priora, *sum vero verna verbero* mire torserunt interpretes; sensus enim est obscurior. Ego dudum conjeceram integrum versum esse Sosiae; sic enim omnia sunt plana et perspicua. Servus semetipsum increpans, »Sum vero verna verbero," inquit, »sum vero dignus, »qui flagellis verberer, quoniam nunc demum mihi in »mentem venit, Diis gratias agere pro meritis, quibus »me sospitem e bello reduxerunt." De vocis *numero* significatione peculiari dissertatione egit Rostius Plautinorum Capediorum ferculo IX, contendens huic vocabulo semper ironiam inhaerere. Videtur idem fere significare quod *temperi*, in quo eadem cernitur ironiae vis; cf. Aulul. III. 3 vs. 6 et Cas. II. 6 vs. 60. Caeterum me recte ita coojecisse, ipsi numeri testantur. Versus est

Digitized by Google

octonarius plenus; praecedunt Bacchiaci; mutatur versuum genus, mutato orationis colore. Jam quid esset ineptius, quam (ex vulgata lectione) Mercurii orationem non intra cantici terminos continere, sed per aliud etiam longe diversum numerorum genus continuare, ita ut partem etiam impleat octonarii. Dissentit tamen Lindemannus, cujus ego in hac re rationem probare non possum. Cum enim hic versus nullam habeat quod ad numeros difficultatem, praecedentium vero intricatior sit ratio, Lindemannus hos quidem satis audacter refinxit, secundum normam quamdam ab ipso temere constitutam; cum vero huic rationi adversaretur versus noster, hunc plenum numerisque suis absolutum mutilare non dubitavit, ut causam suam in prioribus obtineret. Jam hoc ferrem, si praecedentes illos ita constituisset ut de iis ne dubium quidem relinqueretur; at ille primum mire se torquens diversa numerorum genera conjunxit, deinde creticum induxit tetrametrum hypercatalectum, versum inauditum auresque laedentem. Recte Weisius octonarium restituit, sed in personarum nominibus nihil mutavit. Ultimos cantici versus idem Plauti editor non recte constituit; pronunciandi sunt, ni fallor, hoc modo:

*Patér servitútis* (Bacch. dim.).

*Hic qui verna nátus'st queritur* (troch. dim.)

quibus tres praecedunt Bacchiaci tetram. Sic non opus est cum Lindemanno illa: *sum vero* rejicere, aut cum Weisio justo breviorem inducere clausulam.

---

I. 1. vs. 262.

*Sed quid ais? quid Amphitruoni a Telebois datum est?*

Hunc versum quamquam facile restituere possis verbo-

Digitized by Google

rum transpositione, magis tamen adducor ut credam vocabuli omissione esse corruptum. Scribendum fortasse:

*Séd quid ais? quid A'mphitruoni dóno a Teleboís datum'st?*

infra I 3, vs. 36.

*Núnc tibi hanc paterám, quae dono mi íllic ob virtutém data'st,*

ubi scribendum videtur:

*Núnc hanc pateram, quáe mihi illic dóno ob virtutém data'st,*

*A'lcumena, tibi condono.*

quo facto accentus melius cadunt, elevatâ primâ in *pateram;* eamdem ob causam infra II 2 vs. 141 legendum fortasse:

*Si háec habet illam páteram. — An etiam id crédis, quae in cistéllula hac.*

ibidemque versu 151:

*Aút hic páteram inésse oportet. — A'gedum solve eam cístulam.*

---

I 2, vs. 13.

*Denique Alcumenam Jupiter*
*Rediget antiquam conjugis in concordiam.*

Quamquam usus genitivorum, praesertim apud vetustos scriptores, sit admodum frequens, habentium scilicet vim activam et passivam, nescio tamen an hic recte dicatur: *redigere aliquem in alicujus concordiam*, pro eo quod est: *in concordiam cum aliquo*; sed minus etiam placet Lindemanni conjectura: *conjugi*, quo versus quidem sanatur, sed vis infertur Latinitati. Vocabulum *conjugis* in Codd incertae est sedis, quare non nimis fuerit temerarium, ita versum refingere:

Digitized by Google

*rediget cum conjuge antiquam in concordiam.*

cf V 2, vs. 11; mox (vs. 16) hiatum amovere possis legendo:

*eam seditionem omnem in tranquillum conferet.*

hoc dicit Mercurius; totam illam inter virum et uxorem discordiam pater meus componet. Inserui *omnem*, quod videri potest excidisse propter vicinarum literarum similitudinem; certe multo melius est, quam illud Lambini et deteriorum aliquot codicum: *eam seditionem illi in tranquillum conferet.*

---

II 1. Hujus scenae principium primus constituit Bentleius ad Cic. Tusc. III 12, cujus rationem non habuisse miror interpretes. Vir ille magnus, cujus in Plautum Terentiumque merita non possunt satis praedicari, versus priores hujus scenae 23 ad Bacchiacos numeros disposuit; sed ulterius non progressus est; videbat enim credo sequentes versiculos non nisi violenter ad eosdem numeros redigi posse. Hermannus tamen periculum fecit; bacchiacos tetrametros paucis mutatis continuavit; ingeniose quidem, ut solet, sed minus tamen vere opinor; quod eo confidentius dico, quoniam intelligo Hermannum sibimet ipsum non ubique satisfacere, atque in versu 27° adeo plane incertum esse animi, sintne hiatus illi: *domi — ego sum — inquam* ferendi necne. Ego cum hic quoque, ut supra, trochaicos dimetros latere suspicatus essem, gaudebam Weisium in eamdem suspicionem incidisse; quamquam quos ille interspersit breviores versiculos, eos non admittendos existimo. Videamus singulos versus:

vs. 24 *homo hic ebrius est, ut opinor*; placet quod Hermannus interposuit *ego*, quo servato, levi trajectione elegans nascitur dimeter:

Digitized by Google

*Hómo hic est ébrius, ut ego opinor.*

duo sequentes nulla indigent medicina:

*U'tinam ita essem. Optás quae facta!*

*Égone? — Tu istic. U'bi bibisti?*

in versu 26 iterum sequor Hermannum *bibi* ejicientem:

*Núsquam equidém. — Quid hóc sit hominis?*

versus sequens ita fortasse supplendus:

*équidem decies jám tibi dixi*

ubi illud *tibi*, latet fortasse in vocabulo *bibi*, quod ex praecedenti versu expunxit Hermannus; legitur in uno codice. Sequuntur dimetri quinque, in quibus ut versus constent, nihil opus est mutare, modo ejeceris verbum *esse*, quod damnarunt recentiores omnes, quoscumque illi secuti sint numeros. Jam si integrum locum legeris, fateberis, credo, singulos versiculos aptissime inter personas heri et servi esse distributos, venusteque impositos esse accentus. Caeterum locum hunc tractanti et attento animo legenti nonnulla mihi displicebant, leviora illa, sed tamen non praetermittenda. Primum servi interrogatio: *egone?* vix ullam habet vim, nisi statim legatur post illa Amphitruonis: *homo hic est ebrius, ut ego opinor;* deinde verba *ecquid audis?* incommode interponuntur, quibus demtis, melius inculcatur illud παράδοξον quod his Sosiae verbis continetur: *domi ego sum inquam, et apud te assum Sosia idem.* cf. supra vs. 12 et 18 et mox vs. 46: *quo id pacto potest fieri, nunc uti tu hic sis, et domi?* ubi legendum esse contendo: *uti tu* et *hic sis*, et *domi*, ut in versu seq. *sum profecto* et *hic* et *illi*. His autem vitiis si cui placeat liberare nostrum (non enim intercedo, si quis haec ipsi Plauto quam librariis imputare malit) is facile nonnulla transponendo et numeros servare et commodum sensum efficere possit. Ut melius intelligatur, quid ego in vulgata lectione desiderem, paulisper ingenio indulgens

Digitized by Google

locum exhibebo, non quemadmodum a Plauto scriptum esse contendo, sed quemadmodum ab eo scriptum malim.

AM *Hómo hic est ébrius, ut ego opinor.*
S *Égone?* A *tu istic.* S *utinam ita essem.*
A *Quae facta optas. ubi bibisti?*
S *équidem núsquam* A *quid hoc est hóminis!*
S *équidem décies jám tibi dixi.*
*Écquid audis? dómi ego sum inquam,*
*et apud te assum Sósia idem.*
*Sátin' hoc plane, sátin diserte,*
*hére, nunc videor tibi locutus?*
A *Vah! ápage te a me.* S *quid est negoti?*

Sed nihil tamen ego mutaverim contra codices. Quod autem ad sequentes versus adtinet, facile in eosdem numeros paucis mutatis possint refingi, sed cum in iis non ea sit concinnitas, quae in praecedentibus cernitur, Bentleii exemplo admonitus, hic subsistam, locumque felicioribus relinquam.

---

II. 1. vs. 75.

*Non soleo ego somniculose heri imperia persequi.*

scribendum credo:

*Nón égo soleo sómniculose heri mei imperia pérsequi.*

*mei* interposuit Lindemannus; recte, ni fallor. Supra I. 1 vs. 191.

*Húc eo: mei heri sum servos. Núnquid nunc es cértior?*

ubi male ejiciunt pronomen. Inserendum fortasse etiam II. 2. vs 11, ubi Hermannus, ut Bacchiacus constaret, inseruit pronomen *eo:*

Digitized by Google

*Plus aégri ex eo ábitu viri quam ex advéntu,*
*Volúptatis cépi.*

sed sententiam si spectes, longe elegantius nuda sibi opponuntur substantiva *abitu* et *adventu*; quare praestiterit fortasse:

*Plus aégri ex abitú mei viri quam ex advéntu.*

cf. vs. 8 et 16. Mutavi quoque in primo versu verborum ordinem accentus causa. *Somniculosus*, *meticulosus*, *febriculosus* etc. secundam nunc corripiunt, nunc producunt.

---

II. 2. vs. 190. Vix fero tales accentus: *Próh di immórtales!* qui si et aliis displiceant, legere possint:

*Di immortales! cógnoscisne tú me saltem, Sósia?*

---

III. 3. vs. 2.

Jup. *Optume advenís.* So. *Jam pax est inter vos duos.*

Versum integro pede carentem supplevit Camerarius inserto *quaeso*. Sed vide an non potius exciderit voc. *facta*:

*O'ptime advenís. — Jam pax est fácta vos intér duos?*

ut vs. 10:

*Hábui ego expurgátionem; fácta pax est. — O'ptime'st.*

---

V. 1. vs. sq.

*Capit dolet, neque aúdio, neque óculis prospició satis,*
*Nec mé miserior fémina'st, neque úlla videatúr magis.*

Verba extrema: *neque ulla videatur magis* non satis intelligo; quocumque te vertas, languent et putida sunt. Fortasse prior versus pars jambicus est dimeter acatal.,

Digitized by Google

quem explere volentes librarii ad praecedentium similitudinem, adjecerint inepta illa: *neque ulla videatur magis*; nam perquam commode Bromia, superante dolore et animi aegritudine, hic paululum oratione subsistit. Probabilior videbitur haec conjectura, si versum se quentem cum Hermanno trochaicum feceris(cf. Lindemannus in Addendis); nam, ubi mutatur versuum genus, saepe breviores istius modi versiculi interponuntur. Accedit quod infra quoque iisdem numeris utitur ancilla, siquidem probanda est Weisii versuum 21—23 dispositio, quod nullus dubito. Vir quidam doctissimus, cujus judicio haec subjeceram, loci corrupti hanc proposuit emendationem:

*Nec mé miserior fémina,*
*Neque illa videátur magis.*

i. e. *Magis miserior quam ego et hera.* Nam *Femina*, inquit, non necessario postulat additum *ulla.* Ea vis est in negatione *nec-neque. Videatur*, videri potest, esse, inveniri potest.

Digitized by Google

# ASINARIA.

I. 1 vs. 17.

*Quid istúc est, aut ubi est istuc terrarúm loci?*

Leve in accentu vitium corrigo transponendo: *aut ubi istúc est terrarúm loci*; sic non opus est cum Bothio ejicere *est*. Simile vitium tollas infra II. 2 vs. 50 legendo: *ésse sibi in mundó malum*.

I. 2 vs. 10 et 11.

*I'ngrata atque írrita esse ómnia intélligo,*
*quáe dedi, et quód benefeci: at posthác tibi,*
*málo quod potero fácere, faciam, méritoque id faciám tuo.*

In versu medio durissimum hiatum in pede cretico: *ci at post* patienter tulit Weisius. Ego, si versus esset creticus tetrameter, non dubitarem post *at* interponere pronomen *ego: Quód benefeci; át ego posthác tibi*; est enim illud pronomen minantis orationi egregie accommodatum, ut in illo Virgiliano: *Quos ego;* cf. Amph. II. 1 vs. 36.

*At te ego faciam*
*hodie proinde ac meritus es;*
*ut minus valeas.*

Sed nihil est mutandum, neque versus creticus est tetrameter, sed liquescente ultima in *benefeci*, ad illud pertinet genus, de quo egit Hermannus Elem. p. 216 sqq. et Beckerus in quaestionibus de Com. Rom. fab. p. 20 sqq.

Digitized by Google

quod genus hic merito dixit suavissimum. Constat autem ex dimetro cretico et trochaico monometro hypercatalecto:

*Quáe dedi, et quód benefé | ci: dt posthac tibi.*

atque in eo artificium Plauti mirari licet, qui duriorem a creticis ad trochaicos transitum hoc interposito versu mitigaverit. Mox versu 15 metri causa pro *amans* legendum fortasse *amens*.

II. 2 vs. 12

Leonida servus, cum praeda sibi oblata esset, gaudio exsultans, conservum suum quaerit Libanum, ut eum laeto nuncio impertiat. Sed eum cum non statim videret, morae impatiens, ita exclamat:

*Aétatem velím servire, Líbanum ut conveniám modo.*
*Étiam de tergó ducentas plágas praegnantés dabo.*
*Nám si huic occasioni tempus sese subterduxerit*
*Númquam edepol quadrígis albis índipiscet póstea.*

versus tertius vacillat. Bothius scripsit: *Nam si se huic occasioni tempus subterduxerit*: ego minori mutatione:

*Nám si occasióni huic tempus sése subterdúxerit.*

Sed mirifica ad hunc versum Weisii est adnotatio: »*tem*» *pus* incertum, an sit pars capitis, an abstractum. Sin » capitis pars, an occasionis an Libani." Ipse ejecto *sese* locum ita explicat: » nam si Libanus nunc, quum ipsa » occasio eum quaerit et caput quasi ejus apprehendere » conatur; tempus suum ei subterduxerit." Ex ejus igitur sententia *tempus* h. l. est Graecorum κρόταφος. At quis umquam ita locutus est! quasi vero qui occasionem prehendere conatur, tempus ejus arripiat, non frontem, ubi capillata est. Sed in refutando illo commento operam non perdam, cum non verear ne cuiquam sit placiturum. At ille non assequitur, quid sibi velit: *tempus se subterducit occa-*

Digitized by Google

*sioni.* Fateor servum Plautinum ut alias, ita hic quoque minus accurate locutum esse; nam cum hoc dicere in animo haberet: » si justum rei gerendae tempus e » manibus elapsum fuerit,» ipsam *occasionem* posuit, pro *re*, *quam gerendam occasio obtulerat*, in qua servilis sermonis incuria equidem non offendor.

Vir doctissimus, cujus supra ad Amph. V. 1. vs. 7 feci mentionem, haec benigne de suo adjecit: » Fieri » potest, ut Plautus scripserit:

» *Nám si huic occasiónis tempus sése subterdúxerit.*

» Si *tempus occasionis*, tempus rei bene gerendae, se » subterduxerit huic Libano, Libanum effugerit, ille hoc » tempus postea numquam reprehendet. Possis reddere » sententia Livii XXV: 38. *Si in occasionis momen-* » *to*, *cujus praetervolat opportunitas*, *cunctatus paul-* » *lum fueris*, *nequidquam mox omissam quaeras.* » *Tempus* saepe idem significat atque *occasio.* v. c. » Phaedri V. 8. ubi *Tempus* tam persona est quam *Occa-* » *sio.* Graeci jungunt χρόνον et καιρόν. Ita Plautus scri- » bere potuisset: *si tempus et occasio se huic subter-* » *duxerint*; dixit *tempus occasionis.*" Hanc ego conjecturam plane probem, si *occasionis* quatuor syllabas metiri potest.

---

II. 4 vs. 4.

ME *Nimis ímperiosus.* LI *váe mihi hodié!* LE *salvere Libanúm libertum! jám manu emissus?* (*jússi*

Ut recte se habeat caesura et in caesura hiatus, aliter ac vulgo fit, hunc locum distinguendum credo:

ME *Nimis ímperiosus'st.* LI *Váe mihi!* LE *Hodié salvere Libanúm libertum? jám manu est emíssus?* (*jússi*

Apparet ironicam esse orationem. Leonidas herum se

Digitized by Google

faciens, simulata iracundia in Libanum debacchatur. » Quid hoc rei est?" inquit » itane ego a servo meo con- » temnor? num ego fortasse Libanum hodie libertum » salutavi? num libertatis eum jam feci compotem? Hoc » erit cur non venerit." Offendebat quoque: *vae mihi hodie!* propter locutionis insolentiam.

---

II. 4 vs. 65.

*Malo hercle jam magno tuo nunc isti nec recte dicis.* Pro *nunc* quod versum corrumpit, novissimus Plauti editor scripsit » *ne* i. e. *nae*;" perperam. Particula haec propter eam, quam exercet, vim, in initio sententiae poni solet. Adjiciam hic, quae de usu hujus particulae dixit Faernus ad Terent. Andr. prol. vs. 17: »Caeterum quod Donato » melius videtur, *ne* pro *valde* accipi, considerent observa- » tores linguae latinae, an ea particula, in hac ipsa significa- » tione, usurpari possit, sine alicujus adjunctione prono- » minis, nam et in exemplis a Donato adductis, et in iis, » quae nos observavimus, haec particula post se aliquod » habet pronomen: ut, *ne isti vehementer errant*, et » *ne iste haud mecum sentit.*" Haec ille; quocum cf. C. G. Zumpt Grammat. Lat. § 360: et sane usitatissima haec est pronominis adjunctio; quamquam noster Trin. I. 1. vs. 1, *nae amicum castigare ob meritam noxiam, immune est facinus;* quae lectio non est sollicitanda. Minus recte autem, me judice, pergit idem Faernus: » nec » quemquam fallat exemplum Lucilii infra ab Donato » adductum, *ne in arce bovem discerpsi magnifice, inquit.* » Nam, *ne quem in arce* ex libris scriptis legendum est." Vereor enim magnopere, ut post illud *nae*, relativum pronomen locum habere possit; istud exemplum ex Lucilio adductum ita demum recte se haberet, ni fallor, si



Digitized by Google

legeretur: *Ne ego in arce bovem* etc. Sed ut ad locum Plauti redeamus, illud *ne* locum occupat parum idoneum; quare ego, deleto *nunc*, hiatum in caesura versus hipponactei (qui saepissime apud Plautum est asynartetus) admittere malo. Caeterum si quis pro *jam* substituere voluerit *cum*, me haud invito fecerit. Video enim in ista comminandi formula praepositionem illam adjici solere. Supra vs. 6:

*Nae tu hércle cum magnó malo mihi óbviam occessísti*

V. 2 vs. 47:

*Edepol nae tu istuc cum malo magno tuo dixisti in me!*

ib. vs. 59:

*tu istaec hodie cum tuo magno malo invocavisti.*

Aul. III. 2 vs. 11.

*at hercle cum malo magno tuo!*

et sic passim. Hinc emendandus Men. V. 7 vs. 24, qui versus cum haud constet, constabit, si legeris:

*Máximo hodie cúm malo hercle vóstro hunc fertis. Míttite.*

---

III. 3 vs. 15.

*Sermóni jam finém face tuo hujús sermonem accípiam.* Transpone caesurae gratia: *tuo face;* supra vs. 4 corrige *tua mihi.* In versu 21 si pro *tibi* scripseris *mihi* et versus et sensus melius habebunt. In versu 19 legerim: *Egón'te?*

---

III. 3. vs 24 sq.

*O mélle dulci dúlcior mihi tu és. — Certe enim tu vita es mihi. Cómplectere. — fació lubens. — utinám sic efférámur!* Sic vulgo et Weisius. Sed versus posterior tribus laborat vitiis. Primum *mihi* novum versum inchoans, male divellitur a reliqua oratione, quod non est ex Plauti con-

Digitized by Google

suetudine; deinde *complectere* male acuit penultimam, postremo sequuntur tres syllabae continuae ictu carentes: *re faci*, quod numquam apud Plautum in jambicis aut trochaicis, nisi paucis in versibus corruptis, qui tamen omnes fere jam sunt emendati. In nostro loco pronomen *mihi* utcumque priori versui applicandum videtur, et in altero versu legendum:

*Complèctere me* etc.

Mox in versu 57 miror editores pro *me* non reposuisse *te*, quod sane postulat sententia. cf vs. 106 sqq.

Versus 74 ita fortasse legendus:

*Da mèus ocellus, mèa rosa, meus ánimus, mea voluptas!*

nam saepe apud Plautum nominativus vocativi loco ponitur.

---

Grex vs. 6.

*Rémur impetrari posse, si plausum sic clarum datis.*

Weisius, ut versus constaret, pro *sic* legit *hic*; at Plautus sine controversia scripserat:

*Rémur impetrári posse, plausum si clarúm datis.*

ex *si clarum* geminata litera *c* cum factum esset *sic clarum*, librarii postea sensus fulciendi gratia, loco alieno intruserunt *si*.



Digitized by Google

# AULULARIA.

I. 2 vs. 24

Staphyla ancilla jubetur ab Euclione neminem, se absente, in aedes intromittere, ne ipsam quidem Bonam Fortunam; cui Staphyla: »Pol," inquit, »ea ipsa credo »ne intromittatur cavet,

*nam ad aédes nostras núsquam adit, quamquám prope est.*

quae extrema verba corrigenda duxit Gronovius hoc modo: *quaquam prope*, quod recepit Bothius. At Weisius servata vulgata lectione, cogitandum putat sacellum aut signum Bonae Fortunae, quod prope aedes Euclionis fuerit. Idque, licet de isto sacello ne verbum quidem in tota comoedia proferatur, defendi tamen aliquo modo potest. Mihi autem ancilla respicere videtur divitias Megadori, senis e proxumo, in cujus aedibus non inficete habitare fingat Bonam Fortunam.

---

II. 2.

In hac scena tres versus verborum tanspositione sanandos arbitror. vs. 8.

*Jam illic homo aúrum me scit habere, eo me salutat blandius*

legerim: *jam illic homo aurum scit me habere.*

in vs. 49, ubi citra necessitatem Goellerus ejecerat *esse*, et male produxerat priorem in *venit* (quod praesentis esse temporis intelligitur ex vs. 51) in eo igitur versu legere placet:

Digitized by Google

*Vénit mihi hoc Megadóre in mentem téd esse hominem (dívitem*

denique in vs. 55 propono: *et mé meus ordo irrídeat.*

---

II. 3 vs. 7

*A'tque occlude aédes: jam ego hic ádero. Quid ego núnc agam?*

Dubitari nequit Plautum minus religiose abstinuisse hiatu, quam fecit postea Terentius; sed quousque se extendat Plauti in hac re licentia, quaeque sint regulae ad quas singulos versus exigere oporteat, controversia est. Hermannus enim raro tantum, nec, nisi peculiaris adsit excusandi causa, hiatum ferendum esse existimat. Lindemannus contra aliique, eum nusquam non tolerare videntur. Hanc controversiam quominus ego dirimam prohibent multa. Verum tamen quid ego in hac causa secutus sim, aperiam necesse est. Et hoc quidem credo apud omnes constare, non habuisse Plautum certum, quod sequeretur, systema; nullas certas sibi leges constituisse, a quibus discedere nefas duceret; sed unice eum naturam secutum esse et aures. Jam quid Romanis auribus, Plauti aetate, durius sonare, quid molle et suave, visum fuerit, hodie definire difficile est. Cum tamen recogito in Terentio, qui proximus abfuit a Plauti aetate post Bentleii curas, semel tantum (Ad. V. 1. vs. 5) hiatum occurrere (*) eumque facile vel removendum vel excusandum; et cum animadverto, tantam etiam apud Plautum synaloephae esse vim, ut duae saepe syllabae, quae maxi-

---

(*) Illos modo hiatus excipias, quos sustinent monosyllabae ictu notatae, de quibus accurate et verissime exposuit Bentl. in schediasmate de metris Terentianis.

Digitized by Google

ma distinctione inter se sunt separatae, quaeque adeo duarum sunt personarum, coalescant; non sine causa mihi videor contendere, vulgarem Plauti tempore pronuntiationem maxime abhorruisse hiatum, et neminem e. g. dixisse *animum adverto*, sed *animadverto*, non *legendum est* sed *legendum'st;* cum praesertim apud omnes populos nihil magis proprium sit quotidiani sermonis celeritati, quam liquescere et coalescere syllabas. Haec igitur mea est opinio: Plautus vulgi sequens pronuntiationem, synaloepham numquam neglexit nisi imprudens; i. e. non nisi iis in locis, in quibus hiatus fallere poterat aures minus severas minusque delicatas et fastidiosas; quod usuvenit maxime, ubi pausa fit in pronuntiando, vel propter sensum, (in interpunctione) vel propter versum, (maxime in caesura nonnullorum versuum) vel etiam propterea, quod loquentis persona mutatur (cf. Curc. I vs. 88). Jam has excusationis causas omnes pariter editores admiserunt; sunt vero qui contendant plus sibi permisisse Plautum, durissimos quosque hiatus aequo animo ferentes; inducti fortasse loco Horatii: *At nostri proavi Plautinos et numeros et Laudavere sales; nimium patienter utrumque, Ne dicam stulte mirati;* unde tamen apparet, fuisse etiam, qui Plautinos numeros laudarent et mirarentur; quorum ego judicium lubens meo calculo comprobaverim. Vereor enim, ne Horatius magis, quam par erat, ad Graecorum normam exegerit versus Plautinos. Tam numerosos enim ubique fere, tamque elegantes apud comicum nostrum sunt versus, ut non cedant Terentianis, imo illos saepissime superent facilitate et suavitate. Ego igitur in ea sum sententia, ut omnes illos hiatus, quibus nulla excogitari potest excusatio, vitii suspectos habeam; quod quo magis appareat, ex tribus prioribus comoediis loca nonnulla afferam eo vitio laborantia, quae nondum, quod sciam, sunt emendata:

Digitized by Google

Amph. prol. vs. 96:

*Dum hujus árgumentum — éloquar comoédiae.*

Sic Lindemannus, at Weisius:

*Dum — hújus argumentum éloquar comoédiae.*

Profecto Plauti quoque aetate ipse actor ambigisset, utromodo versus esset pronuntiandus. Mihi Plautus scripsisse videtur:

*Dum árgumentum hujus éloquar comoédiae.*

nisi malis cum Bentleio (ad Ter. Andr. prol, vs. 11) *dum hujúsce argumentum etc.;* sed ille verborum ordo magis placet; cf. vs. 51:

*Post árgumentum hujus éloquar tragóediae.*

Ibid vs. 89 legendum fortasse: *Quid éstis admiráti?*

I. 1 vs. 100 levi trajectione lego:

*Postridie in castra ex úrbe flentes ád nos veniunt príncipes.*

II. 2 vs. 153.

*Tú peperisti A'mphitruonem: ego álium peperi Sósiam.*

Hic venia poetae conceditur propter nomen proprium; quod nescio an recte fiat. Non ignoro in Captivis fabula ante *Hegionis* nomen non elidi aliquoties vocalem, idemque fieri nonnumquam ante voc. *Hercules* (cf. Stich. I 3 vs. 80); sed in iis aspiratio Graeca consonantis vice fungitur, ut apud Catullum quoque in versu heroico:

*Tum Thetis humanos non despexit hymenaeos.*

et: *Qua rex tempestate, novo mactus hymenaeo.*

quare nescio an haec venia recte extendatur ad omnia nomina propria; certe in nostro loco sententia evadet multo luculentior, si mecum scripseris:

*Tu álium peperisti A'mphitruonem, ego álium peperi (Sósiam.*

ubi notabis in repetito accentu venustatem: *álium — álium; peperisti* quoque primam acuere legitimum est, liquescente ultimâ; quominus autem in *Amphitruonem*

Digitized by Google

secunda ob positonem producatur, prohibet perpetua et constans Plauti consuetudo.

III. 4 vs. 21.

*Meo me aéquom'st morigerum patri, ejus studio ser*
*(vire addecet*

ubi non tam versus quam sensus causa inseri oportere verbum *esse* recte jam viderunt interpretes; verum non ante v. *patri*, sed post illud poni oportuerat. Idem verbum interpone Asin. V. 2 vs. 33.

*Quíd fatere? — me éx amore hujus ésse corruptum óppido.*

Asin. II. 2. vs. 47 Lego: *tantum facinus módo ego inveni*, ut in caesura potius sit hiatus.

ib. II. 4 vs. 85.

*Meritó meo, neque mé-Athenis est álter hodie quisquam*

iterum habemus hiatum ante nomen proprium; sed bonum factum, quod alterum etiam vitium huic versui inhaeret; sic enim, si eadem operâ duas mendas sustulerim, probabilior videbitur conjectura. Est autem vitium illud in caesura, quae post quartum pedem legitima est. Conjicio igitur:

*Meritó meo, neque me álter est Athénis hodie quisquam*
*cui crédi recte aequé putent.*

sic ipse quoque ordo verborum melior est; cf. Amph. I. 1 vs. 1.

*Quis me álter est audácior.*

Sed ne dicar bellum hiatui indixisse internecinum, exemplum adeo proferam, ubi hiatus inducendus est. Apud Weisium legitur Asin III. 3 vs. 43:

*Argénti viginti minae med ád mortem appulérunt.*

ubi literam *d* pronomini de suo adjecit. Sed vitiosus accentus ut corrigatur, repono:

*Argénti viginti minae — ad mórtem me appulérunt*

Digitized by Google

pronomen *me* exciderat fortasse propter vicinas literas *em*, intrusum deinde a librariis loco alieno. Hiatus in caesura post voc. *minae* bis occurrit in una hac scena. vs. 61: *Sed si tibi viginti minae-argénti proferéntur.* et vs. 63.

*Id pótius. Viginti minae-hîc insunt in cruména.*

In Aul. III. 3 vs. 4 legere possis: *E'tiam, si vis, introduce;* et vs. 7. *Intro abite* pro *abi*, nam sequitur *vestra*. Denique in loco illo, unde tota haec de hiatu disputatio exorsa est (II. 3 vs. 7) legere propono: *Atque occludito áedes.* Caeterum huic meae de hiatu sententiae maxime favet locus Ciceronis Orat. § 150, ubi affirmat Latinam linguam ea in re sic observare aurium judicium, » nemo ut tam rusticus sit, quin vocales nolit conjungere." Et paulo post, notata Graecorum licentia, ita pergit: » Sed Graeci viderint: nobis, ne si cupiamus quidem, dis- » trahere voces conceditur. Indicant orationes illae ipsae » horridulae Catonis: indicant omnes poetae, praeter eos, » qui ut versum facerent, saepe hiabant: ut Naevius,

*Quam númquam vobis Gráii, — atque Bárbari.*

» Ac Ennius semel:

*Scipio invicte. —*

» Et quidem nos:

*Hoc motu radiantis Etesiae — in vada ponti.*

» Hoc idem nostri saepius non tulissent, quod Graeci lau- » dare etiam solent."

Digitized by Google

# CAPTIVI.

I. 2 vs. 32.

*Ossa átque pellis súm misera macritudine.*

Scaliger proposuit: *miser a macritudine*; sed cum sic versus non esset sanatus, recentiores ejecerunt literam *a*, quod ut defendi possit, malim tamen:

*ossa átque pellis súm miser aegritúdine.*

Stich. I. 3 vs. 62:

*Prae móerore adeo miser atque aegritúdine consénui.*

modo vs. 30 habuimus: *ego, qui tuo moerore maceror.*

---

III. 2 vs. 1 Dudum suspicatus eram in hujus scenae principio latere dochmiacos. Jam video Lindemannum Weisiumque in eo convenire: ut verba priora: *Quid est suavius* dochmiacum monometr. efficere dicant, in sequentibus vero dissentire; quare nunc audacius meam de h. l. sententiam proferam. Credo enim totum hunc versum dochmiacis constare, ita fere constituendis:

*Quid ést suáviús,*
*Quam béne gérere rém — bonó públicó!*
*Sicut égo féci herí.*

---

III. 4 vs. 98. *A't ego te videó major majórem. Hem rursum tibi.*

Digitized by Google

Sic omnes, ni fallor, libri, numeris durissimis. Ego, mutato verborum ordine, legendum conjicio:

*A't ego te majórem video májor. Hem rursùm tibi!*

qui ordo et elegantior est, magisque latinus (cf. e. g. Amph. II. 1 vs. 77: *vigilantem ille mé jamdudum vigilans pugnis cóntudit.* Asin. III. 2 vs. 41 *lacrumántem laciniá tenet lacrumans*) et versum reddit multo numerosiorem, reducta legitima caesura, evitatoque hiatu. Accedit quod eodem ordine Aristophontes dixerat versu praecedenti: *púerum te videó puer*, quem ordinem jocans imitatur Tyndarus.

---

III. 4. vs. 122:

*Núculeum amisí, reliquit pígneri putámina.*

Subjectum τοῦ *reliquit* nimis remotum est; in plerisque autem, iisque optimis codicibus legitur *reliqui*, quod recepit Lindemanus, ego non intelligo. Sed unus codex Guelph. habet *reli* (sic) lacunâ relictâ. Credo antiquitus scriptum fuisse *reti*, unde efficiendum *retinui*, sensu perspicuo et luculento. Servavit hanc scripturam Donatus ad Ter. Ad. V. 3 vs. 10.

---

III. 5 vs. 24.

*Dum ne ob malefacta peream, parvi aestimo.*

Hic versus multo melius cohaerere videtur cum praecedente, si post *malefacta* distinguatur. Deinde ex libris quibusdam inserendum credo pronomen *id*:

*Dum ne ób malefacta, péream; parvi id aéstumo.*

Cum maximum ei cruciatum minatus esset Hegio, *vel*

Digitized by Google

*peream*, inquit, *dum ne ob malefacta.* Mox in vs. 27 versus causa transponunt: *herum meum* vel *herum me;* legendum, ni fallor:

*Me méum herum captum ex sérvitute atque hóstibus*
*reducém fecisse líberum in patriam ád patrem.*

illud *me* quam facile omitti potuerit h. l. nemo non videt. Exciderat quoque Amph. II. 2 vs. 43, ubi cum Lindemanno legendum: *mágis nunc* ME *meum officium facere.*

---

IV. 2 vs. 19.

*Quae íllaec emindtio est? nam néqueo mirari satis.*

Versus ipse docet, aliter esse distinguendum:

*Quae íllaec emindtio est nam? néqueo mirari satis*

i. e. *quaenam illaec eminatio est?* Nec quemquam, qui Plautum lectitavit, morabitur haec particulae *nam* collocatio. Similiter in Amph. II. 1 vs. 45, cum legeretur:

*Quo íd, malum, pactó potest; nam mécum argumentis puta.*

Gronovius solius sententiae vitio ductus, post *nam* distinxit, versu egregie approbante. Ad eum locum hujus locutionis exempla ponens vir doctissimus, nobis ea colligendi otium fecit.

---

IV. 2 vs. 50.

*Heús ubi estis? ecquis hoc aperit ostium?*
*Híc homo ad coenam récipit se ad me. — A'perite*
*hasce ambás fores.'*

Priorem versum justo breviorem supplevit Weisius, interposito verbo *aperite*, adscitoque a Lambino *vos.*

*Heús ubi estis vós! aperite! écquis hoc aperit óstium.*

Digitized by Google

haud placent accentus; *aperite* primam acuere amat; *vos* parum venuste emergit. Malim ego, si jam hariolari fas est:

*Heus ubi estis? ecquis hîc est? ecquis hoc aperit óstium*

nota in aliis libris legi *ecquis hic*, in aliis *ecquis hoc* Bacch. IV. 1 vs. 10.

*Heus écquis hic est? ecquis hoc aperit óstium?*
*Ecquis éxit?*

Amph. IV. 1 vs. 12.

*A'perite hoc. heus, écquis hic est? écquis hoc aperit* (*óstium.*

Rud. II. 3 vs. 82.

*Heus écquis in villa'st? écquis hoc recludit? écquis prodit?*

Mil. Glor. IV. 7 vs. 14. *Pultábo. Heus! ecquis hic est?* Apparet etiam, qui factum sit, ut verba *ecquis hic est* exciderint.

---

Ibid. vs. 81 et 82.

*vásа tibi pura ápparari ád rem divinám cito,*
*átque agnum afferri proprium pinguem.* He. *cur?* ERG *ut sacrifices.*

Locus foede mendosus. Bothius posteriorem versum ex ingenio refinxit hoc modo:

*átque agnum afferri propere unum, pínguem. — Cur? — ut sácrufices.*

quam palmariam emendationem vocat Lindemannus; ego non credo ejusmodi versum a Plauto esse profectum. Nec melius Weisius, servata veteri lectione hiatum admisit in primo versu: *átque — ágnum*, quo nihil excogitare potuit ineptius. Mihi hujuscemodi aliquid Plauto non indignum videbatur:

*átque tibi agnum afférri propere pínguem. — Cur? — ut sácrufices.*

sic enim *afferri* mediam, ut oportet, in ictu habet; sic

Digitized by Google

*propere* ex thesi, in quam male depresserat Bothius, erigitur; sic *agnum*, quod in Bothii lectione plane delitescit, priorem acuit, quod necessarium esse recte jam monuerat Bosscha. *Propere* pro *proprium* Scaligeri est conjectura; *tibi* ego inserui. Jam quod ad priorem versum adtinet, si cui excusabilis videtur iste hiatus *ápparári-ád*, ego manus abstinebo; sin mecum duriusculum habeat, suspicari is potest, an non exciderit in fine versus vocabulum, cujus interpretatio fuerit *cito*; scripseritque Plautus *extempulo*, quo reducto, vide quam rotundus et numerosus sine ulla licentia currat octonarius:

*Vása tibi pura ápparari ad rém divinam extémpulo.*

---

V. 3 vs. 8.

*Cúr ego te non nóvi? — quia mos ést oblivisci hóminibus.* Hunc versum alii placide ferant licet, ego non dubito quin corruptus sit; nam cum voc. *mos* in ictu esse oporteat, inepte se extollit verb. *est*; deinde *oblivisci* non potest non liquescere cum voc. seq. Fieri potest, ut Plautus scripserit: *quia enim mós est oblivisci hóminibus*; nam centies apud nostrum particulae: *quia enim* responsioni inserviunt. Supra IV, 2 vs. 104:

*Quid tu per barbáricas urbes júras? — quia enim item ásperae sunt etc.*

Ingentem exemplorum copiam in indice suo congessit Pareus. Verum, quamquam hoc inserto vocabulo et numeri salvi sunt, et sensus; tamen quoniam non satis apparet, quomodo excidere potuerit, in eam potius inclino sententiam, ut Plautum dedisse credam:

*Cúr ego te non nóvi? — quia jam mós est oblivisci hóminibus*

proclivis erat librariorum in omittendo hoc vocabulo error; proximas enim literas si conjungas idem illud vo-

Digitized by Google

cabulum (*jam*) efficitur. Neque haec particula sua h. l caret vi; servus non inficete suam aetatem incusat: ut fere solent servi comici. Curc. II 3 vs. 20:

*ita nunc mós viget,*
*I'ta nunc servitiúm'st: profecto módus haberi nón potest.*

cf. Pseud I. 5 vs. 18:

*Sed véra ea si sunt, út nunc mós est máxume.*

Terent Phorm. I: .2 vs. 5.

*Praesértim, ut nunc sunt móres, adeo res redit:*
*Siquis quid reddit, mágna habenda est grátia.*

---

V. 3 vs. 17:

*Eó miser sum. qúia male illi fëci, si gnatús meus'st.*

Conditio illa, quae vocabulo *si* indicatur, vim sententiae et πάθος infringit; nam in eo ipso causa erat doloris, quod *filio* suo male fecerat, neque hic dubitationi locus est. Dixerat: *si quidem vera dicitis* (quod non dubitat) *et miser sum et fortunatus;* jam miseriae suae cum daturus sit causam, dubitatio illa plane aliena et inepta est. Scribendum videtur:

*Eó miser sum, qúia male illi fëci, qui gnatús meus'st*

illud *si* ex proximo versu male repetitum est.

Digitized by Google

# CURCULIO.

I, 2 vs. 11 :

*Ipsum expeto*
*Tángere, invérgere in mé liquorés tuos*
*Sino ductim.*

Miro Weisius errore »Omnes," inquit, »edd. *sino* »*ductim*, sed quidni hic aeque *siro* legatur, atque supra »I. 1 27. *sirit.* Nam necessario debet esse aut optati»vus aut conjunctivus." Imo nec optativus nec conjunctivus, nec indicativus adeo; est enim ablativus substantivi *sinus* vel *sinum*: ut jam indicarunt Lambinus et Taubmannus. Videndum tamen an non recte Douza legendum conjecerit: *Sine* in vocativo. Primum anus allocuta erat vinum ante ipsius aedes profusum, cujus odore mirifice delectabatur; mox vero, cum naribus suis satisfecisset, ut gutturi quoque vicissim daret gaudium, ipsum quaerit sinum, quo vinum continebatur; quae sententia quo luculentior prodeat, legendum fortasse:

*Te ipsum expeto*
*Tángere, invérgere in mé liquorés tuos,*
*Sine, ductim.*

Et bene anus alloquitur *sinum*, ut illa in Phaedro *amphoram*. Inter eos, qui sequuntur, numeros obscuriores, deprehendisse mihi videor tres versus Dochmiacos:

*Canem ésse hánc quidém | magís pár fuit*
*Sagáx násum habét*

Digitized by Google

et (quod certissimum est) Bacchiacos:

*Tibí qui scredúti, siccáe, semisómnae,*
*affért potiónem et téd it seddtum.*

quos quo jure Weisius anapaestos dicere potuerit, non intelligo. Sequuntur ex ejusdem viri sententia Cretici, quorum ego primum suspicor duobus constare versibus Dochmiacis (*)

*Quam lónge á me abést?* | *Hoc lúmén vidé!*

sequuntur duo Cretici, de quibus nullum potest esse dubium.

---

II. 3 vs. 26:

*Haúd magis cupís, quam ego te cúpio.— O méa opportunitas!*

Versum ruentem ego sustentandum credo, inserendo pronomine *me*, quod per sententiam vix abesse potest. Legendum igitur credo:

*Haúd me magis cupís, quam té ego cupio. — O méa opportúnitas!*

---

IV. 3. Tribus hujus scenae locis medelam affere conabor. Et primum quidem in vs. 5, ubi legitur:

*Nón edepol nunc égo te mediocrí macto infortúnio*

nemo, qui aures habet, non offendet. Unus, quod sciam, Bothius numerorum asperitatem lenire conatus est transponendo: *mediocri te;* sic autem *mediocri* trisyllabum facere cogimur, quod non idoneis exemplis defenditur. Vide igitur an non sic scripserit Plautus:

*Nón edepol ego núnc mediocri mácto te infortúnio,*
*Séd eopse illo, qúo mactare sóleo, quoi nil débeo.*

---

(*) Dochmiacos dico, brevitatis causa; nam numerorum naturam si speeles, dicendi erant fortasse bacchiaci dimetri catalectici.



Digitized by Google

numeris suavissimis. Dixerat Therapontigonus vs. 1 et 2

*Nón ego nunc mediócri incedo irátus iracúndia,*
*Séd eapse illa, qua excidionem fácere condidici óppidis.*

Gratiam et jocum captatur Lyco, imitando tum ipsa militis verba tum verborum etiam ordinem: Pergit Therapontigonus:

*Né te mihi facids ferocem, aut súpplicare cénseas,*

ubi contra naturam et sanam rationem ad *supplicare* intelligere jubemur *me tibi*. Legendum et distinguendum fortasse hoc modo:

Ly. *Né mihi te facids ferocem.* Th. *An súpplicare cénseas?* i. e. an tu mihi sis auctor, ut tibi supplex sim? quae verba εἰρωνικῶς esse pronuntianda apparet. Tertius locus (vs. 13) ex vulgata lectione ita se habet:

*Qui hás tabellas óbsignatas attulit* Th. *Quas tu mihi tabulas,*
*Quós tu mihi luscós libertos? quós Summanos sómnias?*

quorum priorem spurium habet Weisius; et sane, si abesset, nemo desideraret; verum tamen, cum non reperiam, quâ causa quâve ratione inducti hunc versum librarii intruserint, non temere ejecerim. At enim, ipse versus ultra terminos evagans, impostorem arguit. Corrige igitur: (quae in promtu est emendatio, eaque facillima):

*Qui hás tabellas óbsignatas áttulit.* Th. *Quas tú mihi tábulas, quos luscós libertos, qúos Summanos sómnias?*

caeterum ad hunc locum respexit Donatus (ad Ter. Ad. V. 7 vs. 9) mendose citans: *quos tu mihi parasitos luscos, quos summanos somnias?*

Digitized by Google

# CASINA.

III. 2 vs. 1:

*U't properarem arcéssere hanc ad me vicinam meam, hoc erat Ecastor id, quod me vir tanto opere orabat meus.*

Neuter versus recte incedit. Quod ad sensum adtinet, in versu altero ejiciendum est pronomen *id*, quod ignorant veteres edd. Praeterea numerorum gratia Weisius in versu priori ejecit *hanc*, adscivitque ex iisdem illis vett. edd. in vs. 2°. hunc ordinem: *tanto vir opere*, quo facto sustulit durissimum hiatum in *tanto opere*, alterum non curavit in *ópere órabat*, et illum vix ferendum, Sed vide an lenissima mutatione, et hiatum istum amoliri et numeros efficere suavissimos liceat:

*U't properarem arcéssere istanc dd me vicinám meam, hóc erat ecastór, quod me vir tántopere orabát meus.*

In pronomine *istanc* latet quaedam odii significatio, quae egregie convenit zelotypo Cleostratae animo. Certe sententiae efficaciam haud leviter imminueris, si cum Weisio pronomen *hanc* penitus deleveris. Saepissime apud Plautum pronomina *hanc* et *istanc* confunduntur, cujus statim exemplum subjiciam:

---

V. 2 vs. 1:

*Neque quo fugiam, neque ubi lateam, neque hoc dedecus quomodo celem.*

Persuasissimum mihi est, hunc versum constare trochai-



Digitized by Google

cis: consentaneum igitur est, ut pro *hoc* legatur *istoc*. Weisius tamen et hunc versum et sequentes in anapaesticos numeros redegit, quocum consentit Hermannus in Elem. pag. 411. De hac re ut liberum cuique sit judicium, atque ut satis apte Weisii ratio cum meâ comparari possit, primum versus apponam, quemadmodum Weisius disposuit, deinde, ut ego legendos existimo. Sic igitur Weisius:

*Neque quo fugiám, neque ubi lateám, neque hoc dédecus, quomodo célem*
*Scio: tántum herus átque ego flágitio superávimus nuptiis nóstris.*
*Ita núnc pudeo, átque ita núnc paveo, átque ita rídiculo sumus ámbo.*
*Sed ego ínsipiéns nova núnc fació: pudet, quod prius non puditum úmquam'st.*
*Operám date, dum mea fácta iteró: est óperae auribus accípere;*
*Ita rídicula áuditu, iteratu, ea sunt, quae ego intús turbávi.*

in versu tertio vulgo: *ita in ridiculum;* in vs. 5 vulgo *auribus percipere.* Plura non mutavit. Ego accentus ita impono:

*Néque quo fúgiam, néque ubi lateam, néque istoc dédecus quomodo célem*
*Sció: tantum hérus atque égo flagitio nuptiis superávimus nóstris.*
*I'ta nunc pudeo, atque ita nunc paveo, atque íta nunc ridiculi sumus ámbo.*
*Séd ego insipiens nóva nunc facio: púdet quod prius non pú-ditum'st úmquam.*
*O'peram date, dum méa facta ítero: est óperae percipere áuribus.*
*I'ta ridicula áudítu et iteratu éa sunt, quae ego intus turbávi.*

Digitized by Google

Jam longum est indicare, quid inter singulos accentus sit discriminis; igitur paucis defungar. In versu 1° *neque* et in versu 3° *ita*, apud me ter sunt in ictu, quoniam vis quaedam incumbit his vocabulis sic saepius repetitis: atque ita solet Plautus; cf. Bacch. III. 1 vs. 12, Men. IV. 2 vs. 66, V. 5 vs. 57, V. 9 vs. 31, Mil. Glor. III. 1 vs. 57—60 etc. etc. Apud Weisium contra, his vocabulis latitantibus, in vs. 3 bis acuitur *nunc*, quasi eo adverbio praesentis temporis notio h. l. esset insigienda. Deinde apud me in versu 2, voc. *herus* et *ego*, atque in versu 3 *pudeo* et *paveo* primam acuunt, quae omnia in Weisii lectione misere delitescunt, ter prodeunte *atque*, quod deprimi satius erat. In sequentibus fateberis *nova* et *prius* optimo jure extolli, *quod* melius latere. Haec de his versibus satis disputata sunto; in sequentibus autem iterum mihi res est cum Weisio. Uncinis inclusit ille hujus scenae partem reliquam et totam scenam sequentem. Cur autem haec supposita putaret, causam nullam dedit aliam, nisi quod versus ex iis constitui nulli possent. Argumentum sane infirmum; nam in loco depravatissimo et lacunis pleno, quid mirum, si justus pedum numerus non ubique compareat? At vel in istis fragmentis certissima passim apparent numerorum vestigia. Sic vs. 9 sqq. cretici sunt:

*Cólloco, fúlcio, móllio, cúm senex | ..... incumbe inquam* (*)
*U't prior qúam senex núptias .....*
*Túrdus esse íllico coépi, quoniám .....*
*Réspecto ego idéntidem, né senex [me ópprimat].*

vs. 15 trochaicus est tetrameter catalectus, deficiente syllabo:

*Énim jam magis apprópero: magis jam lúbet in Casinam irrúere —*

(*) Sic dedi ex codice palimpsesto Ambrosiano, cujus auctoritas plurimum valet ad refutandam Weisii opinionem.

Digitized by Google

vs. 30 et 31 item trochaici:

*Séd quom cogitó, non habuit gládium: nam esset frígidus·*
*Lóquere. — At púdet. — Num radix fuit? — non fuit. Num*
*cucumis? — nón fuit.*

vs. 40 ex certissima emendatione, iisdem constabit numeris:

*Illa haud verbum fácit, et sepit véste id, qui estis mulieres.*

adjeci voc. *mulieres*. Sed rem turpem verbis explanare aut conjecturam meam defendere nolo.

vs. 50: *Décido de lecto práeceps; súbsilit óbtundit mihi os.*

Alios praeterea versus non paucos haud ita difficile restituere possis.

Digitized by Google

# CISTELLARIA.

I. 1 vs. 42: *illa ted ego hanc mihi educávi ex pátribus conventítiis.*

Jure merito *monstra conjecturarum* dixit Gronovius, quae ad h. l. viri docti excogitarunt. Caeteris sanior et probabilior conjectura est Acidalii: *ex patribus commentitiis*; nam quod Gronovius maluit: *ex patribus commentis* versum persumdat. Non tamen credo verum vidisse Acidalium. Quid enim opus erat meretricibus patres comminisci spuriorum? aut quae tandem meretrix, si quis eam gravidam fortuito fecerit, vel verae prolis patrem possit nuncupare? Plautum scripsisse suspicor: *ex partubus commentitiis.* Meretrices non revera pepererant, sed peperisse se simulaverant, ut intelligitur ex ipso fabulae argumento.

---

I. 1 vs. 61:

*Mea.* SI. *excrucior, mea Gymnasium, male mihi est, male maceror.*

Lego:

SI. *Mále ego excrucior, méa Gymnasium, mále mihi est, male máceror.*

*Male* pro *mea* habent Mss. Guelf. Ad trochaicos hoc versu transire poetam, jam viderunt alii. Mox (vs. 63) ut constet caesura, legendum fortasse:

Digitized by Google

*Quid dicam, nisi meá stultitia in moerorem mé rapi*
in versu 90 ejiciendum credo pronomen *meam*, quod abundat, et versum onerat. In versu denique 111, pro *erga me* si legeris *med erga*, numeros sustentaveris: *Nolito ácriter Eum inclamare; utút mederga est méritus, mihi cordi (est tamen.*
*mederga* apud nostrum legitur etiam Asin I. 1. vs. 4. Capt. II. 3. vs. 56, alibi.

---

I. 3. vs. 20.

*Ille clam observavit servos.*

Imperfectum senarium alii aliter explere conati sunt. Caeteris conjecturis non pejor fortasse fuerit haecce:

*Ille clám ex insidiis óbservavit sérvolus.*

cf. vs. 39.

*Cum ipse éxponebat, éx insidiis víderat.*

---

II. 1. vs. 22. Miror novissimum Plauti editorem non respexisse verissimam J. Guillelmi conjecturam:
*Si íllam uxorem dúxero umquam, míhi quam despondit (pater,*
et ad vs. 26 ingeniosissimam Bentleii emendationem (ad Terent. Andr. IV. 3. vs. 13 et Hec. V. 4. vs. 30 propositam).
*A'libi quaere, ubi tuó jurando júri satis sit práesidi;*
*Hic apud nos Alcésimarche, cónfregisti tésseram.*

---

II. 1. vs. 35.
*Nón? hem, quid agis? — ígitur animun advórte, ut (quid agas, scias.*

Digitized by Google

Locum hunc corruptum esse, et versus declarat et sensus. J. Guill. e Langianis legendum duxit: *Hem quid agam?* quo facto alterum versui vulnus inflixit. Accedit quod reliqui Codd. vulgatam lectionem tuentur. Possis:

*Nón? Hem quid agis?* ME *I'gitur animum advórte, ut quid ego agám, scias.*

causa corruptelae manifesta est; terminatio vocabuli *scias* praecedens *agam* corrupit in *agas; ego* excidit propter literarum similitudinem cum voc. seq.

Digitized by Google

# EPIDICUS.

II. 2 vs. 97:

*Jám igitur amota ei erit omnis consultátio núptiarum.*

Taubmannus ad h. l. «Alii aliter versui consulunt. Sed «simplicius videtur excidisse vocem similem, *erit omnis* «*omnis consultatio.*" Taubmannus omnibus versibus imperfectis unam semper adhibet medicinam, ut vocabulum aliquod bis scribat, vel ter adeo, si opus est. Sed vellem indicasset potius, quibus igitur rationibus alii versui consultum voluerint; fortasse mihi fecisset otium, ne ipse quaererem; nam quod veteres habent *jam tunc igitur* id haut satisfacit. Igitur quaerenti haec mihi facillima occurrebat versus fulciendi ratio, ut scriberem:

*Jám igitur amóta ei fuerit ómnis consultátio núptiarum.*

---

II. 3 vs. 1:

*Nullum ésse opinor égo agrum in ágro Attico.*

Miror interpretes hunc versum tulisse, qui ne versus quidem dicendus est, non modo propter durissimum in ultimis verbis hiatum, sed etiam quia *ăgrum* et *āgro* juxta se ponuntur, diversâ prioris syllabae quantitate. Atqui Plautus numquam priorem produxit, monente jam Her-

Digitized by Google

manno in praefatione ad Trinummum pag. XV. Ego nullus dubito, quin Plautus scripserit:

*Nullum ésse opinor égo ăgrum in omni ăgro Attico,*
*aequé feracem, qúam hic est noster Périphanes.*

inserui particulam *omni*; quae orationem reddit efficaciorem, quaeque exciderat propter similitudinem praecedentium literarum *min*; cf. Most. I. 1 vs. 30:

*Quo némo adaeque júventute ex omni A'ttica*
*ante hác est habitus párcus, nec magis cóntinens.*

Idem vocabulum recte inseruit Weisius Pers. I. 1 vs. 2, sed loco alieno. Legendum ibi est:

*Superávit aerumnis suis aerúmnas omnes Hérculis.*

Ut *ager* sic *pater* quoque in casibus obliquis, et quae inde veniunt, *patria*, *patruus* etc. apud Plautum semper corripiunt priorem; cujus rei causam quaerens, in eam delatus sum suspicionem, literam *r* Plauti auribus adeo mollem et liquidam visam fuisse, ut numquam consonantis loco habuerit. Certe in *labrum* quoque numquam produxisse videtur priorem et *Amphitruo* semper apud eum secundam corripit. Sed nondum ego huic rei intentus Plautinas fabulas perlegi. Nolebam tamen hanc suspicionem reticere, ut alios excitarem ad verum inquirendum, quemadmodum ipse quoque inquirere pergam.

---

III. 1 vs. 10:

*Si hercle habeam, pollicear lubens: verum aliquid, áliqua, áliquo modo,*
*alicunde, ab aliquí, aliqua tibi spes est fore mecum fortúnam.*

F. Jacob utrumque versum jambicum habuit tetrametrum, transpositis: *mecum fore;* Weisius priorem jambicum, al-

Digitized by Google

terum trochaicum fecit ejecto *est*. Uterque peccavit contra regulam ab Hermanno verissime constitutam, ne proceleusmaticus trochaei locum occupet; in versu enim 10 habemus: *áliqua ali*, et in vs. 11 secundum Jacobum: *áliquî ali*. Regulam hanc ex ipsa numerorum natura petitam esse inde comperi, quod, cum eam adhuc ignorarem, et, solo Bentleio duce, numeros Plautinos et Terentianos persequerer, cumque mihi versus nonnullos notassem, qui ingrati ad aures meas acciderent, postea vidi id ipsum iis vitium obesse, quod regula illa Hermanniana damnatur. Quare nunc audacius pronuntio, versus illos aut esse corruptos, aut aliter esse pronuntiandos. Jam si verba spectamus, bis legitur in hac sententia *aliqua*, quae tautologia non est ferenda. Quodsi mei res esset arbitrii, in utroque versu illud vocab. delerem, (nam *aliqua* et *aliquo modo* prorsus idem notant) legeremque:

*Si hércle habeam, lubéns pollicear: vérum aliquid, aliquo modo,*
*álicunde ab aliquî tibi spes est mécum fortundm fore.*

quae conjectura inde nonnihil comprobatur, quod jam eodem plane ordine omnia haec vocabula (*aliquid aliquo modo*, *alicunde*, *ab aliquî*) ei a Stratippocle irato regeruntur:

*Quíppe tu mi áliquid, áliquo modo, alicúnde ab aliquibús blatis.*

Sic etiam decorum melius servatur; nam ex vulgari lectione Chaeribulus nimis aperte amicum suum irrisisset; nunc habet quo se defendat; et fortasse imprudens hanc verborum seriem congessit. Suspicor tamen extremis verbis gravius mendum subesse, cui sanando vires meas sentio esse impares. Requiro hanc fere sententiam: *spes est me tibi alicunde corrasurum pecuniam*. Extremi hujus scenae versus ita fortasse sunt constituendi:

Digitized by Google

*Quód nusquam'st: neque égo id immitto meás in aures, néc mihi*
*plús adjumentí das, quám ille qui numquam etiam nátus est.*

---

V. 1 vs. 1:
*Mále morigerus mi ést Danista, qui de me argentum nón petit.*
Weisius versûs causa scripsit: *haud petit.* Vetus codex, cujus plurimum valet auctoritas, habet: QUID *me argentum non petit*, unde lenissimo remedio versum ita emendandum suspicor:
*Mále morigerus mi ést Danista,* QUI *á me argentum nón petit.*

---

Digitized by Google

# BACCHIDES.

I. 1 vs. 64:

*Ego obsonabo; nam id flagitium sit meum, mea te grátia et operam dare mi, ét ad eam operam facere sumtum dé tuo.*

Illud *meum* quod in Codd. incertae est sedis, abesse mallem. Cur enim *flagitium meum?* mirum scilicet ni Bacchidis flagitium. *Flagitium est*, absolute dicitur; infra V. 2 vs. 45 *Quí non? — Quia flagitium est.* Terent. Adelph. I 2 vs. 21:

*Non ést flagitium, míhi crede adolescéntulum*
*Scortári neque potáre.*

et iterum vs. 31.

*Non ést flagitium, fácere haec adolescéntulum.*

Versus ipse, demto hoc voeabulo, paulo melius incedit;

*Ego obsonabo; nam id flagitium sít, mea te grátia.*

---

V. 2 vs. 6:

*At pol nitent, haud sordidae videntur ambae.*

Bothius:

*At édepol nitént: sordidae ámbae haud vidéntur.*

ut constarent Bacchiaci numeri. Sed senes, cum hic a meretricibus ludibrio habeantur, non laudentur; malim his verbis convitium subesse, quam laudem. Quod si placet, possis versum sanare transponendo, in hunc modum:

*At pól haud nitént: sordidae ámbae vidéntur.*

Digitized by Google

Mox (vs. 19) verba: *solae libere*, quae Weisius ejecit, Dochmiacum constituunt. Vs. 20 et 21: constare credo bacchiacis tetrametris plenis et jambicis dimetris catalecticis hoc exemplo:

*Ne bálant quidém, cum a pecú caetero ábsunt.*
*SO. Stultae ác malae vidéntur.*
*Revórtamur íntro sorór. — Illico ámbae*
*manéte, haec oves volúnt vos.*

in versu 2° vulgo legitur: *stultae atque haud malae videntur;* sed voc. *haud* in optimis Codd. desideratur, expunxitque Ritschelius. In versu autem 4° *oves* monosyllabum est (cf. Truc. III 1 vs. 5) quemadmodum *naves* etiam et *boves* et *novus* nonnumquam apud Plautum unam metiuntur syllabum.

Digitized by Google

# MOSTELLARIA.

I. 1. vs. 39.

*Germána illuvies, rústicus, hircus, hára suis.*

Mirabilem lectonem ex Codd. annotavit Gruterus: *rusticus, hircus, hara mostellaria*, quam unde ortam dicam, aut quomodo corruptam, non invenio. Comparanda fortasse Donati adnotatio ad Ter. Phorm. IV. 4 vs. 29: » *hara* autem est, in qua pecora includuntur. Plautus: » *Rusticus, hircus, hara, suis*: Mostellaria."

---

II. 1 vs. 35.

*Écce autem hic depósuit caput, et dormit. Suscita.*

versus pede caret integro; facile eum explere possis inserto voc. *rursum*:

*Écce autem hic depósuit rursum cáput et dormit. Súscita.*

versu non invito; vel etiam legendo *condormiscit:*

*Écce autem hic depósuit caput et cóndormiscit. Súscita.*

cf. Curc. II. 3 vs. 81:

*Cáput deponit, Cóndormiscit.*

vel denique (quae simplicissima est ratio) hoc modo:

*Écce hic autem déposivit cáput, et dormit. Súscita.*

---

V. 2 vs. 13.

*CA. A'ge mitte ista, et ito ad me ad coenam. TR. Dic venturum. Quid taces?*

Digitized by Google

Totum hunc versum Callidamati tribuendum esse existimo, ejecto verbo *ito*:

*A'ge mitte ista, et ád me ad coenam dic venturum. Quíd taces?*

Servo Tranioni non recte dantur, quippe qui, auditis illis heri verbis: *ego ferare faxo ut meruisti in crucem*, prae metu statim in aram confugerit, nec verbum muttire ausus, priusquam aram contigisset. Versum autem 10 integrum Tranioni reddere placet. Infra vs. 44 legendum fortasse:

CA. *Dispudet.* TR. *dedit ísti veniam: quíd me fiet nínc iam?*

ubi interposui verb. *dedit*, quod videbatur excidisse.

---

V. 2 vs. 55:

*Hánc modo unam nóxiam; unam, quaeso, fac causá mea.*

oratio imperfecta, sensus nullus. Bothius scripsit:

*Hánc modo unam nóxae veniam quéso fac causá mea.*

Mira locutio! Quamnam igitur veniam? aut quae aliae intelligendae sunt veniae? dicit enim: HANC UNAM *veniam.* Malim:

*Hánc modo missam nóxiam unam quaeso fac causá mea.*

*Hanc*, quam commeruit; *unam*, nam non vult implorare veniam aliarum, quae postea fortasse a servo committentur. Aperte hoc declarat servus in versu seq.:

*Quíd gravaris? quási non cras jam cómmeream aliam nóxiam:*

*I'bi tu utrumque, et hóc et illud, póteris ulcíscí probe.*

*Missam facere noxiam* idem est quod supra vs. 47 dixit: *noxiam remittere.* cf. Trin. V. 2 vs. 44:

*Si quid stulte fécit, ut ea míssa facias ómnia.*

---



Digitized by Google

# MENAECHMI.

II. 2 vs. 41:

*Heu hércle hominem múltum et odiosúm mihi!*

*Múltum* h. l. exponunt *molestum*. Dubito an recte; certe exempla, quae producuntur, parum probant. Sic e. g. apud Cic. de Off. II. 16, § 4, quem locum huc trahunt interpretes, ubi Theophrastus dicitur *multus esse in laudanda magnificentia*, ille quidem reprehenditur leviter, sed ideo, quia in re inepta multam posuit operam, laudandus scilicet, si v. c. *in virtute laudanda multus* fuisset; ex Afranii fragmento apud Nonium, a Gronovio citato, de verbi significatione haud satis constat; locum autem Catulli:

*Multus homo es Naso, nam tecum multus homo est, qui descendit: Naso multus es et pathicus.*

aliter explicandum esse, docent ad eum locum interpretes. Deinde, si grammaticam spectes vocabuli vim, non apparet cur laudis potius quam vituperii habeat significationem. Dicitur quis *multus* vel *plurimus* vel *totus* esse in re aliqua, quae locutiones omnes non nisi gradu inter se differunt. Vituperationis notionem demum induit locutio: *nimius est*, idque naturali et propria vocabuli vi. H. l. igitur placet Lambini lectio, sive ea ex conjectura, sive ex libro Ms. profluxerit:

*Heu hércle hominem molestum et odiosúm mihi.*

sic enim evitatur quoque hiatus.

Digitized by Google

III. 1 vs. 6.

*Qui íllum dii ómnes perduint, qui primus commentus est.*

Pedem versûs fugitivum reducere possis legendo:

*Qui íllum di deaeque ómnes perdant*

quemadmodum noster aliquoties locutus est; sed hoc incertius; vix autem dubito, quin posterior versûs pars accentûs causa ita sit legenda:

*prímus qui comméntus est*

cf. Boeotiae fragm. apud Gell. III. 3.

*Ut illúm di perdant, prímus qui horas répperit.*

---

IV. 2. vs. 1.

*Ut hóc utimúr maxumé more móro,*
*molestoque múltum! atque utí quique sunt*
*O'ptumi máxumi, mórem habent húnc;*

Jupiter ex formula dicitur *optumus maximus;* fundus quoque, cui nulla inhaeret servitus, a jureconsultis dicitur *optumus maximus;* cf. fr. 80, 169 ff. *de Verb. Sign.;* propter hunc solemnem verborum usum, minus placet *optumi maxumi* de hominibus dici, legendumque videtur: *atque uti quique sunt optumi, maxume morem habent hunc;* i. e. *uti optumi sunt, ita maxume;* vel, *quo meliores sunt, eo magis hunc habent morem.* Caeterum quod ad numeros adtinet, locum hunc tractavit disposuitque Hermannus in Elem p. 304 sq.; sed ex iis, quibus usus est, verbis satis intelligitur, virum praestantissimum nonnihil addubitasse, satisne vera sua esset ratio. Ego versus ita distribui, ut in illis Codd., unde profluxit vulgata lectio, disponuntur; nam libri Mss., ut in dirimendis singulis versibus turbent nonnunquam, ita saepissime quoque veram versuum distinctionem servarunt,



Digitized by Google

quod saepe in numeris ignotioribus miratus sum. Cur autem h. l. Codices sequendos esse ducam, causa haec est, quod sic tres priores versus ex amussim respondeant tribus sequentibus, antistropham quasi constituentibus:

*Cliéntes sibi ómnes volúnt esse múltos,*
*Boníne an malí sunt, id háud quaeritánt.*
*Rés magis quáeritur quám clientúm.*

Quodsi dicas meos versus singulos minus satisfacere auribus quam Hermannianos, non negabo; sed enim Hermannus in versu 2 ejecit *sunt*, quod aegre desideratur, atque in versu 6 delevit *clientium*, scripsitque in vs. 7 pro *quojusmodi*, *quoja;* ego nihil mutavi.

Digitized by Google

# MERCATOR.

I. 2 vs. 93:

*Périi!* Ac. *Hem istuc únum verbum dixisti veríssumum:*
*Stúltitia istaec est.* Ch *quid faciam? crédo non credét pater.*

In verbis Acanthionis aliquid inest difficultatis et molestiae, non satis cohaerente oratione. Bothius versum alterum totum dedit Charino; quo facto, quod erat vitium in oratione servi, illud transtulit in Charini verba. Fortasse ita locus expediri poterit, ut priora illa: *hem istuc unum verbum dixisti verissimum*, secum servus, non audiente hero, reliqua ad Charinum conversus pronuntiasse intelligatur. In versu seq. omnino inserendum est pronomen *me*:

*Si illam matri meáe me emisse dicam.*

sic mox: *neque credibile est forma eximia mulierem, eam* me *emisse ancillam matri* (forte: *meae me emisse ancillam matri*) et supra vs. 88: *matri* te *ancillam tuae emisse illam.*

---

II. 3 vs. 111.

*Quiésce, inquam, istanc rém ego recte vídero* Ch *quid agis?* De *quid est?*
Ch. *Nón ego illam mancúpio accepi.*

Hunc locum si attento animo legeris, per te ipse facile videbis, ineptam hanc esse Charini interrogationem: *quid*

Digitized by Google

*agis?* cui nec respondent Demiphonis verba: *quid est?* Lego ex certissima, ut mihi quidem videtur, correctione: *quid ais?* Est haec elegans formula, quâ nescio an nullus veterum scriptorum praeter Plautum hoc sensu usus sit. Significat idem fere quod *heus tu!* et *audin?* Utuntur ea, qui aliquid rogaturi, aliquem attento esse jubent animo. Perspicuum hoc fit ex plurimis exemplis. Sic e. g. in Bacch. V. 2 vs. 36, Philoxeno dicente, *quid ais tu homo?* Nicobulus quasi nomine suo compellatus, continuo subjicit: *quid me vis?* Sic infra quoque vs. 118, cum Demipho ad Charinum dixisset: *quid ais?* in mente habens ipsam adjicere interrogationem, ille dicere occupat: *communis mihi illa est cum alio*, cui rursus senex, *prius*, inquit, *respondes quam rogo*. cf. etiam Trin. I. 2 vs. 156 et 159, Poen. I. vs. 130, Truc. I. 2 vs. 28, et passim. Trin. IV. 2 vs. 108:

*Quid ais tu nunc? si forte eumpse Charmidem conspexeris*

ubi, quonian mihi verba *tu nunc* mirifice languere videntur, ita distinguo:

*Quid ais? tu nunc si forte etc.*

Hinc emendandus Poen. I. 2 vs. 139 (ubi jam Bothius reposuit *quid ais?* vulgatam male defendente Weisio) et Stich. IV. 2. vs. 35, quem locum ita interpretor: Epignomus, ut magis etiam ludos faceret parasitum, » Heus tu" inquit, » est quod te volo." (*quid ais Gelasime?*) At ille ira incensus, quia Epignomus ipsum ad se ad coenam accipere detrectaverat, non vult audire; » tu hodie," inquit » oratores (legatos) accipis; habeas tibi istos oratores, me mittas." Epignomus vero, eum excitandi gratia: » at id, quod dicere volebam, tuâ refert;" quibus verbis parasitus in spem coenae erectus, » si quiden mea refert," inquit, » opera utere." Caeterum *agis* et *ais* etiam alibi confunduntur,

Digitized by Google

ut Men. I. 2, vs. 29, ubi recte correxerunt *quid agis*? et Epid. I. 1 vs. 15, ubi male Jacobus a vulgata lectione recessit.

---

V. 4 vs. 10:

*Vérum dicit hic* Ly. *Tibi ergo dicit* Eu. *eo illud verum est magis.*

Pronomen *eo*, quod versum turbat, ejiciendum credo. Originem debet, ni fallor, Eutychi nominis literis prioribus:

*Vérum dicit hic. — Tibi ergo dicit. — Illud verum est magis.*

Sententia manifesta: illud verius est, me tibi Demiphoni hoc dicere, nam te etc.

Digitized by Google

# POENULUS.

Prol. vs. 53:

*Carchédonius vocátur haec Comóedia,*
*Latine Plautus Patruus pultiphagónides.*

Multa hic sunt notanda; primum constructionis insolentia, quam alii conjecturis tollere studuerunt, alii Plauto non indignam habuerunt; ego eam Plauto puto esse indignissimam; conjecturarum autem, quas viri docti proposuerunt, nulla mihi ex omni parte probatur. Quid Plautus scripserit, (si tamen haec Plauti sunt) divinatu difficile est, neque fortasse sine Manuscriptorum meliorum auxilio umquam constabit. Ego aliquid desidero in hanc fere sententiam:

*Carchédonius vocátur haec Comoédia*
*Graecé, Latine Pátruus pultiphagónides.*

cf. Bentl. ad Phorm. prol. vs. 26. Deinde molestiam creavit vocab. *pultiphagonides*, dissentientibus viris doctis, utrum Romanus intelligatur an Poenus. Denique in duplici illo fabulae nomine (*Poenulus* et *Patruus pultiphagonides*) haereo; neque enim credo, id moris fuisse, ut duplici nomine fabulae inscriberentur. Fieri potest, ut Graeca comoedia bis in latinum sermonem conversa fuerit, indideritque Plautus suae versioni *Poenuli* nomen, alter poeta suam fabulam *Patruum pultiphagonidem* inscripserit; certe hic prologus, nisi sit corruptissimus,

Digitized by Google

poetam mediocrem et Plauto inferiorem habuerit auctorem necesse est. Duplicem olim fuisse fabulam, sunt etiam alia quae arguant; maxime dittologiae, quae passim in hac fabula occurrunt. Sic omnia ea, quae leguntur post actus quinti scenam sextam in eodem plane versantur argumento atque ea, quae scena quinta continentur, ob eamque causam olim suspecta habebantur; nunc vero, cum et in antiquissimo Angeli Maji Codice legantur, et numerorum ratio ex eodem codice patefacta sit, non est causa, cur haec potius quam illa Plauto abjudicentur. Sic Actus I. Scenae II vs. 8, in vett. edd. legitur:

*Nam nos usque ab aurora, ad hoc quod diei est,*
*postquam Aurora illuxit numquam cessavimus,*
*ex industria ambae numquam concessavimus;*

et Act. V. Sc. II vs. 75 sq. apud omnes:

*Maledicta hinc aufer: linguam compescás face,*
*Maledicere huic tu témperabis, si sapis.*

item vs. 83: *Antidamae filium*
*quaeró; commonstra, sí novisti Agorástoclem.*
*Ecquem ádolescentem tu híc novisti Agorástoclem?*

etc. Sed plura cum in hac fabulà turbata sint, et difficilior haec sit quaestio, quam ut a me jam nunc ad liquidum perducatur, haec verbo monuisse sufficiat.

---

Prol. vs. 120: *Is illi Poeno hujúsce patri hospes fuit.* Quod supra p. 43 dixi, *pater* in casibus obliquis priorem semper corripere, id hic locus videtur refutare. Sed salva res est, et est potius, quod mireris interpretum socordiam, qui non viderint sensum ipsum flagitare, ut scribatur:

Digitized by Google

*Is illi Poeno hujúsce patruo hospes fuit.*

quod verum esse vel unus mehercle versus 115 abunde demonstrat. Exstat etiam alius versus Plauti (Capt. V. 4 vs. 27), ubi *patrem* producit priorem:

*Quási per nebulam Hégionem pátrem meúm vocárier.*

sed non est quod dubites, Plautum scripsisse: *meúm patrem vocárier.*

---

I. 2 vs. 64:

*Quíd habetis, qui máge immortales vós credam esse, quam égo siem?*

Beckerus in Quaestt. p. 16 etiam h. l. utitur, ut ostendat saepe apud nostrum corripi syllabas positione longas, quod ut universe verum est, ita cavendum est, ne ulterius quam oportet, hanc regulam extendamus. Usurparunt hanc licentiam Plautus et Terentius, non nisi in principio versuum, et in certis quibusdam formis; *immortalis* vereor ut in harum formarum numerum recipi fas sit; certe hic locus nullius est momenti, cum in aliis libris alio ordine legatur: *mage qui immortales*, et versus ipse etiam alio nomine vitium prodit; *habetis* enim non potest accentum habere in ultimâ. Legendum credo:

*Quíd est apud vos púlchrius?*
*Quídve habetis, qui immortales mágis vos credam, quam égo siem?*

Mox vs. 67 legendum videtur:

*Milphio, heus, ubi és! — Assum apud te eccum — A't ego elixus sís volo.*

*At* ex optumis codd. inserendum. In versu 88 lege: *Bóno ego ingenio*, versûs causa. Denique versus 162 et 163 si locum inter se commutare jusseris, sententiam ex male cohaerenti et inepta feceris luculentam et planam.

---

Digitized by Google

IV. 2 vs. 31: Corrige: *ŏperam rĕddam* accentus et hiatus causa.

---

V. 2 vs. 95: ***Inde sum oriundus. — Di dent tibi omnes quae velis.***

Senarius vacillat. Legendum fortasse:

***Unde sŭm oriundus. — Di ŏmnia tibi dent, quae velis.***

Pro *omnes* scripsi *omnia;* nam cur omnes Dei conspirare debent, ut uni homini optata contingant? Certe *omnia* hic majorem habet vim et efficaciam, quam *omnes;* nam *qui* dent parum refert, modo detur. *Quid* vero et *quantum* dent refert maxime. Nec insolita etiam haec est formula: *omnia quae vis.* Ut apud Horat. Sat. I. 9 vs. 5: *cupio omnia, quae vis.* cf. quoque Sat. II. 8 vs. 75; ibique Bentleius.

Digitized by Google

# RUDENS.

I. 2 vs. 80:

*Nunc núnc periculúm'st, | ejecit álteram.*

Sic Reizius Weisiusque, vulgatam lectionem sequentes. Sed et oratio imperfecta est (quis enim ejecerit non indicatur, neque ex orationis serie intelligitur) et versus laborat eo vitio, quod supra p. 2 notavi. Legi possit:

*Nunc núnc periclum'st, álteram ejecit scapha.*

Scapha alteram puellam ejecit (quam natantem fluctus ad litus detulit): altera naviculâ ad terram deferebatur. Sic igitur legi possit. Dubium vero me fecit vir doctissimus, hanc proponens conjecturam:

*Nunc núnc periclum. Ejécit fluctus álteram.*

addens: » Sed pertinent fortasse haec ad illa, quae dispu- » tavisti in Poenulo vs. 53 prologi. Dele hic vs. 80 et » 81, et melior sit sententia". Et sane uterque versus, quod ad numeros, inelegans est et vitiosus; idque fortasse non librariorum erroribus est tribuendum, sed incerti potius auctoris minus culto ingenio, auribusque minus delicatis. Mox vs. 93 lege:

*Si apud méd esuru's, mí operam darí volo.*

---

III. 2 vs. 21 sqq.:

*A't ego te per crúra et talos, tergumque obtestór tuum,*
*Si tibi ulmeam úberem esse spéras virgidémiam,*

Digitized by Google

*ét tibi eventúram hoc anno úberem messém mali,*
*út mi istuc dicás negoti quíd sit, quod tumúltues.*

Versus secundus gravi laborat vitio; nam nec *speras* jungi potest tempori praesenti (*esse*), cum praesertim sequatur versu seq. *eventuram*, nec *uberem* hic stare potest, quia statim idem epitheton iteratur. Ego *esse* ejiciendum credo, et pro *uberem* legendum *futuram:*

*Sí tibi ulmeám futuram spéras virgidémiam,*
*ét tibi eventúram hoc anno úberem messém mali.*

Sic melius quoque et concinnius singulis substantivis singula junguntur adjectiva. Huic conjecturae non leve accedit momentum, quod jam propius accedit senis oratio ad verba Trachalionis; dixerat hic (vs. 16): *si speras tibi multum* FUTURUM *sirpe et laserpitium*, regerit ei senex iratus: *si speras tibi ulmeam* FUTURAM *virgidemiam;* perrexerat servus: *et tibi eventuram exagogam Capuam salvam*, pergit pariter Daemones: *et tibi eventuram uberem messem mali.* Inde apparet etiam, ni fallor, in versu 22 Codicum lectionem: *ut tibi ulmeam*, recte ab Acidalio correctam esse, neque hic audiendum esse Gronovium; loca enim, quae attulit vir magnus, paulo aliter sunt comparata; ea exempla enim habent: *ut voltis..... ita faciatis*, et *sicut vis —— ita te obtestor;* utroque loco in apodosi infertur particula *ita*, quae adeo necessaria est; hic autem non legitur.

Digitized by Google

# STICHUS.

I. 1 vs. 31 sqq.

*Cum ípsi intérea vívant, váleant,*
*úbi sint, quid agant, écquid agánt,*
*néque participant nós neque rédeunt.*

*quid agant, ecquid agant;* horum verborum praepostera ratio est; primum enim specialiter rogatur *quid agant*, deinde universe *ecquid omnino agant.* Fortasse scribendum est: *úbi sint, quid agant, écquid amént nos.* Vide enim quam suaviter mulieres virorum amantissimae mentionem injiciant amoris; nam solet haec inter amantes, locorum spatio separatos, praecipua esse causa sollicitudinis, ne aliorum amore irretitus alter alterius obliviscatur. cf. Amph. I. 3 vs. 44:

Jup. *Númquid vis?* Alcum. *Ut quom ábsim me ames,*
*mé tuam absentém tamen.*

Deinde si sic legas, versus quoque erit restitutus, qui est trochaicus dimeter acatalectus. Vulgo, Hermanno auctore, versus habentur anapaesti; ego aliter existimo. Vide enim quid intersit inter trochaicos illos et Hermanni anapaestos:

*Cum ipsi ínterea vivánt valeánt,*
*ubi sínt, quid agánt, ecquíd agant, néque*
*participant nós, neque rédeunt.*

*Ipsi* melius auditur; *interea* secundam acuere amat; (Priscianus de accentibus in fin. » Notandum est, quod

Digitized by Google

» adverbia omnia, quae cum praepositionibus componun-
» tur, sub uno accentu proferenda sunt, ut *déinde*,
» *éxinde*. Hanc regulam sequitur omnis conjunctio, et
» in compositis et in simplicibus, ut *intérea, étenim*").
Deinde *vivant* et *valeant* multo melius priorem acuunt, quam, ut nunc volunt, posteriorem. Caeterum non tres tantum hi versus, sed permulti in hac scena his numeris compositi sunt, ut vs. 17:

*fácit injúriás immérito.*

quem sequitur catal:

*nósque ab his abdúcere volt.*

ubi Hermannus scripsit:

*nosque áb iis nunc abdúcere volt.*

Contra libros Mss. inserens *nunc;* at nihil erat mutandum; nam subsistente paulisper Pinacii oratione, aptissime hîc venit catalecticus, in cujus ultima arsi rythmus ipse quoque quiescit, plane ut in Amph. V. 1 vs. 8, *nec mé miserior fémina est.* Sed Pinacium, novo sumto spiritu, ita pergit:

*Haé res vitae mé soror, sáturant,*
*haé mihi dívidiae ét senió sunt.*

ubi vides sententiae pondus ita incumbere repetito vocabulo *hae*, ut non possint ictu carere. Hermannus:

*hae rés vitae me, sóror saturánt,*
*hae míhi dividiae et sénio sunt.*

in versu 24 lege:

*Néque ille méreat sibi Persárum*
*móntes, qui ésse aurei perhibéntur,*

et in versu 28.

*Décet: neque énim id immérito evéniet.*

Caeterum hic quoque locus documento est, quam religiose librarii servaverint versuum distinctiones, etiam ubi numerorum genus ipsis esset plane ignotum.

Digitized by Google

I. 2 vs. 14:

*Nón faciant. Quid mí opus'st décurso aétatis spatió cum eis.*

Hos numeros qui probet, neminem puto repertum iri. Vide autem quam vera sit Acidalii conjectura; particulam negantem ille exsulare jussit, sententiae tantum opem se ferre ratus; at ille imprudens versui quoque medelam attulit, cujus pars prior continuo erigitur et quasi exsultat:

*Fáciant. Quid mi opús'st decurso aetátis spátio cum eis.*

Vides tamen extremum versum misere adhuc claudicare. Sed non dubito, quin, geminata una litera legendum sit:

*Fáciant. Quid mi opús'st decurso aetátis spatio cúm meis gérere bellum?*

quae item conjectura sententiae non minus, quam numeris salutaris est. Quam pulchre enim patris affectus hoc vocabulo pingitur! Nec *bellum gerere* universe, sed *cum suis patrem* bellum gerere, id demum indignum est. cf. mox vs. 21, ubi iterum de filiabus suis senex: *ego meas novi optume*, et Asin I, 1 vs. 52:

*Atque égo me id facere stúdeo: volo amari á meis.*

Terent. Ad. V. 4 vs. 25: *Égo quoque a meis me amári et magni pendi póstulo.* Jam qui factum sit, ut *non* huic versui sit praefixum, coniici difficicile est; passim tamen in Codd. ejusmodi deprehenduntur errores, quorum causa aut origo non apparet. In negatione autem vel omittenda vel addenda, incredibile dictu est quoties peccaverint librarii. Declarant hoc Bakius ad Cic. de Legg. I. vs. 49. Madvig ad Cic. de Fin. passim, alii. Caeterum literam illam, quam ego inserui, facile excidere potuisse, et sponte intelligitur, et docet etiam locus Terentii Heaut. II. 4, vs. 27.

*tenéone te,*
*Antíphila, maxime ánimo exoptata meo.*

Digitized by Google

ad quem locum sic Faërnus: » Optime staret senarius, » si *exoptatam* legeretur, et ita Terentium scripsisse exis- » timo. Quod ut facilius credam, facit alibi quoque per- » versus mos, errorque librariorum a nobis observatus, » qui, finiente priorem dictionem una litera, a qua poste- » rior dictio inciperet, alteram earum literarum saepe omit- » tebant." Conjecturam illam merito recepit Bentleius.

I. 2 vs. 29:

*Póst id agam igitur deínde; ut animus méus erit, faciám palam.*

Locus manifesto depravatus. Acidalius tentabat:

*Priús id agam: igitur deínde, ut animus méus erit, faciám palam.*

sensu meliori; verumtamen nec ista sermonis abundantia placet, cum verba *prius id agam* otiosa sint, meliusque abessent, et ipsa conjectura paulo violentior est. Leniori, ni fallor, remedio scripseris:

*Póst id ego igitur deinde, ut animus méus erit, faciám palam.*

*Post deinde* recte junguntur. Sic in legis decemviralis tabula tertia, teste Gellio N. A. XX: 1, legebatur: *post deinde manus injectio esto;* cf. Ter. Andr. III. 2 vs. 3: *Nunc primum fac ista ut lavet; post deinde etc.* Neque Cicero adeo hanc locutionem aspernatus est, qui ad Att. II. Ep. 23: *Primum igitur illud te scire volo ——, post deinde etc.* Recte igitur Acidalius in Men. III. 2 vs. 8 scripsisse videtur *post deinde hominem adibo atque adloquar*, quamquam adverb. *deinde* in plurimis libris desideratur. Deinde non jungendum est: *id faciam palam*, sed *post id* vetuste positum est pro *postea.* Cas. I. vs. 42: *Post id, quom las-*



Digitized by Google

*sus fueris, noctu ut condigne te cubes, curabitur.* Jam sententia, credo, perspicua est, neque est, cur miremur, librarios adverbiorum serie conturbatos et deceptos, versum in duas sententias distinxisse.

---

I. 3 vs. 12:

*Sed mátrem parere néqueo: nescio quómodo.*

Hic locus argumento est, quam foede Plautus passim a librariis acceptus sit, quamque parum nobis constet de singulorum locorum integritate sine melioribus Mss. Quem enim h. l. mendi vel levissima tangeret suspicio? Quis in sensu plano et numeris optimis non lubenter acquiesceret? Verumtamen hic quoque grassatos esse librarios declarat Cod. Ambrosianus, in quo, teste Angelo Majo, hic versus ita legitur:

*Sed mátrem parere néscio: nec quid agám scio.*

cujus Codicis quamquam summa est auctoritas, nemo tamen negabit illud *nescio* h. l. invenustum esse et incommodum; verosimile igitur est Plautum scripsisse:

*Sed mátrem parere néqueo, nec quid agám scio.*

Quae lectio cum verborum transpositione corrupta esset, legereturque: *nequeo, nec scio quid agam*, utramque lectionem peperisse videri potest, alteram errore, alteram ex studio corrigendi versum.

---

II. 1 vs. 38:

*Nímis haec res sine cúra geritur. víde quamdudum hic dsto et púlto!*
*Sómnon operam dátis? experiar, fóres an cubiti an pedes plus váleant.*

Primum corrigendum credo *ac pedes;* deinde quod ad

Digitized by Google

numeros, vides me trochaicos fecisse, quamquam Herm. Elem. p. 395 sq. hîc quoque anapaestos agnovit, a quo viro cum aliquoties me dissentire professus sim, noli hoc arrogantiam aut juvenilem jactantiam interpretari, aut novandi adeo pruritum; confiteor enim, me ubique fere cum viro praestantissimo consentire in iis, quae ad rem metricam pertinent; ad paucos locos, ubi aliter sentiebam, opinionis meae rationes libere protulisse. Sic h. l. displicebant accentus, quos ita imposuit Hermannus:

*nimis haéc res sine curá geritúr:*
*vide quám dudum hic adsto et pultó.*
*Somnóne operám datis? éxperiar,*
*fores, án cubiti, án pedes plus valeánt.*

in ultimo praesertim versu *fores, cubiti, pedes* plane in thesi latitantes, bis prodeunte *an*, haud leviter offendebant. Vocabula *nimis* et *vide* melius acuuntur, *quamdudum* legitimum in mediâ syllabâ accentum habet. Duos autem hos versus feci tetrametros, vulgatam secutus versuum distinctionem; quos si quis in dimetros quatuor dividere malit, non intercedam.

---

IV. 1 vs. 30:

*A'pud nos eccillá festinat cum sorore uxór tua.*

Lambinus, ut versum sustentaret, edidit: *A'pud nos hic eccílla festinat.* Weisius ultimam in *eccilla* produxit; quo jure, ipse viderit. Mihi legendum videtur: *eccillam*, quemadmodum *eccum, eccam*; nec memini umquam apud Plautum me legere *eccilla* in Nominativo.

---

IV. 1 vs. 49:

*Vídelicet parcum illum fuisse senem, qui dixerit.*



Digitized by Google

*Qui dixerit;* — qui quid dixerit? nam objecto hoc verbum carere non potest. Scribe igitur: *qui id dixerit;* geminatis duabus literis, et totum versum sic lege:

*Vídelicet parcúm fuisse illúm senem qui id dixerit.*

quem verborum ordinem si verosimile est, Antiphonem in vs. 51 imitatum esse, ibi quoque corrige:

*Vídelicet nequám fuisse illum ádolescentem, qui illico* numeris melioribus.

---

IV. 2 vs. 1. Legendum fortasse:

*Séd id quod occoepí narrare vóbis, cum hic modo áffui.*

Illud *modo* Acidalii est inventum; et vulgata profecto lectio *non affui* ineptissima est. Quomodo enim quis absens aliquid alicui narrare potest? Neque ego hic risum captasse parasitum existimo; nam licet Plauti facetiae saepe sint inficetae, tamen sententias insanas numquam pro jocis venditasset. In versu 5 malim: *O sperate Pamphilippe*; nam cum in omnibus, quae adduntur, exclamationem illam praemittat Gelasimus, in prima hac compellatione profecto omitti non debet, cum praesertim paulo suavior fiat versus, liquescente ultimâ in *hominem.*

---

ibid. vs. 50:

*Núnc ego nolo é Gelasimo míhi te catagelásimum.*

Weisius: » *Catagelasimum* aperte producta syllata *la.*" At cum unicum hoc exstet productae hujus syllabae exemplum, cumque in eodem hoc versu corripiatur in voc. *Gelasimo;* (in Graeco γελάω etiam, alpha natura breve est) cum praeterea durissimus sit hiatus in *nólo é*, nec sententia satis sit absoluta et castigata; ego versum corruptum habeo, ita fortasse emendandum:

Digitized by Google

*Nunc ego nolo te é Gelasimo cátagelasimum fieri.*
Versum sequentem leniori remedio curare possis, legendo:
*Jámne abisti? víde, Gelasime, quid capturu's cónsili.*

---

V. 4. vs. 10.
*Sat est. Servo homini modeste melius facere sumptum quam ampliter.*
Verba *sat est* librario deberi videntur; quibus expunctis salvus est trochaicus:
*Sérvo homini modéste melius fácere sumptum, quam ámpliter.*
quo casu aut quo consilio adjecta sint, haud apparet: non dubito tamen, quin versus 20 quoque eodem modo depravatus sit, cujus si primam dictionem *tamen* deleveris, versus erit numeris suis absolutus:
*Lúdere inter nós strategum té facio huic convívio.*
non enim pronuntiari potest hoc modo: *támen ludére inter nós.* In versu 55 sensus non minus quam versus causa legendum est:
*Fóras egredere, sátis mi pulchra es. — A't enim mihi pulcherrima.*
inserui pronomen *mihi.*

---

Digitized by Google

# TRINUMMUS.

I. 2 vs. 10:

CA. *O amice salve, atque aequalis, ut vales, Megarónides?* ME. *et tu édepol salve, Cállicles.*

Multis nominibus haec offendunt. Ego hic turpem agnosco interpolationem. Verba intermedia: *atque aequalis, ut vales, Megaronides,* spuria esse, quinque argumentis evincam:

1°. *atque aequalis* hoc positu mirifice frigent. Ferrem si hoc ordine legeretur: *O amice, atque aequalis, salve!* nunc post solemnem demum salutandi formulam intulit, se ipse quasi corrigens, et quod dicere oblitus erat, sero addens.

2°. nihil respondet Megaronides ad ea, quae rogatur, *ut vales?* sed, nulla horum verborum habita ratione, ad remotiora tantum respicit: *O amice salve!*

3°. versus turpiter hiat, cessante synaloepha in verbis: *salve atque*, cui malo remedium adhibiturus nescio quis, contra codices infersit *mi* pronomen:

*O amice salve mi, atque aequalis;*

infelicissima conjectura.

4°. Probabilis, ut mihi videtur, hujus interpolationis dari potest causa. Didici scilicet ex Ritschelii maxime ad Bacchides diligentissima codicum collatione, interdum in libris Mss. interlocutorum nomina plena appingi, et mediae adeo orationi interponi (cf. e. g. Ritschel. ad Bacch.

Digitized by Google

I. 1 vs. 24. III. 3 vs. 33 et V. 2 vs. 24) Idem h. l. factum fuisse suspicor. Scriptum erat:

*O amice salve!* MEGARONIDES. *et tu edepol salve, Callicles.*

Jam vero, cum viderent librarii, extrema per se integrum constituere senarium, reliqua verba: *O amice salve* alterius senarii partem esse putabant, quem ut explerent, inficetum illud et ineptum adscripserunt additamentum, quod jam damnamus. Eadem scribendi consuetudo effecit, ut locus Terentii Andr. V. 4 vs. 5 misere corrumperetur, quem praeclare correxit Bentleius, et ante eum Guyetus. Nec diversa ratio est in loco Pseudoli Act. I. Sc. 1 vs. 79, ubi vocabulum *Pseudole* delendum esse, recte monuit Bothius; sed quomodo ille totum locum constituerit, ignoro; nam (quod magnopere doleo) ipsam Bothii editionem ad manum non habeo. Ego sic locum constituebam:

CA. *Miser sum, argentum nusquam invenio mutuom.*
PS. *Heu!*
CA. *Neque intus nummus ullus est.* PS. *Eheu! Eheu!*
CA. *Ille abducturus'st mulierem cras.* PS. *Heu! Eheu!*

5°. Ejecto emblemate illo insulso, reliqua et sensum praebent egregium et senarium numeris absolutum, quod nemo, opinor, ponderatis caeteris argumentis, casui tribuet. Legendum igitur est:

CA. *O amice salve!* ME. *et tu edepol salve Callicles.*

Sic. Poen. V. 2 vs. 79:

HA. *O mi popularis, salve!* AG. *et tu edepol, quisquis es.*

ibid. vs. 116:

*Mi patrue salve!* HA. *et tu salveto Agorastocles.*

Bacch. V. 1 vs. 20:

*Philoxene salve!* PH. *et tu.*

Capt. V. 4 vs. 12:

*Salve Tyndare!* TY. *et tu.*

Digitized by Google

Stich. II. 1 vs 44:

*Salvós sis.* Di. *et tu sálve.*

quemadmodum autem hic mediae orationi quaedam inseruit manus aliena, ita factum quoque Amph. II. 2 vs. 196, ubi Hermannus, nonnullis ejectis, legendum suasit:

*A'mphitruo alius, té qui absente hic múnus fungatúr tuum.*

ingeniosissime! Eodem modo corrigendus fortasse Capt. II. 3 vs. 41:

*Númquid aliud vís patri*
*núntiari?* Ty. *me hic valere, et títe audacter dícito,*
*Tyndare, inter nós fuisse ingénio haud discordábili.*

Modo (vs. 21) jam dixerat: *dicito me hic valere;* nunc rogatus, numquid aliud praeterea vellet patri nuntiari, rursus idem praecipit: *nuncia me hic valere;* in seqq. pronomen *nos* ante Infinitivum male omittitur: has ob causas Plautum dedisse suspicor:

*Númquid aliud vís patri*
*núntiari?* Ty *Nós fuisse ingénio haud discordabili.*

Verba: *me hic valere* ex vs. 31 repetita videntur; reliqua deinde adjecta, cum *Tyndari* nomen plene in codicibus exaratum versus turbasset. Caeterum, quod olim conjeceram, infra ex vs. 14 ejiciendum esse alterum *bene*, probant tum loca Plautina, ubi eodem modo *vivere* et *valere* sine adverbio copulantur (infra IV. 3, vs. 67 et III. 3, vs. 43. cf. Ritschel. ad Bacch. II. 2, vs. 14, et Bentl. ad Ter. Heaut. II. 3, vs. 3) tum codex Ambrosianus, quem nuper animadverti hoc verbum omittere.

---

I. 2 vs. 146.

*Haec sunt, seu recte, seú pervorse fácta sunt.*
*Egomét fecisse cónfiteor, Megarónides.*

Digitized by Google

Versûs prioris non absolvitur sententia. Suspicor alterius versiculi principio excidisse vocabulum, quemadmodum saepe in primis versibus integrae voces desiderantur. Sic infra I. 3, vs. 74 omissum erat voc. *vendo*, restitutum ab Angelo Majo ex codice Ambrosiano. Hunc igitur locum ita coagmentandum credo:

*Haec sûnt, seu recte, seu pervorse fácta sunt,*
*Quae ego mé fecisse cónfiteor, Megarónides.*

---

II. 2 vs. 108.

*Écce autem in benígnitate hoc répperi negótium.*

quamquam haec lectio defendi possit, malim tamen: *in benignitate* HAC *repperi negotium;* ut absolute dicatur: *repperi negotium*, quemadmodum Rud. II. 5, vs. 26:

*Intró ferunda est (urna). Répperi negótium.*

i. e. *habeo, quod agam.* Utitur hac formula, qui queritur sibi molestiam obvenisse.

---

III. 2 vs. 30:

*U't rem patriam et majorum gloriam foedarim meum.*

Huic versui male affecto alius aliam attulit medicinam; ut legitima constet caesura, legendum videtur:

*U't rem patriam et meúm majorum glóriam foedáverim.*

Pronomen *meum* casu quodam omissum, postea in margine adjectum fuisse videtur, plane ut supra vs. 16 pron. *tui*, quod jam suo loco, i. e. ante *majores*, reposuerunt viri docti; eodem igitur jure hic transponere licet. Simile vitium tollas Amph. II. 2, vs. 177, legendo:

*Pérdidisti!* SO. *quíd tibi ést nam?* AM. *haec mé modo ád mortém dedit.*

Addidi particulam *nam*, quam hausisse videntur literae AM.

---

Digitized by Google

III. 2 vs. 86.

*Níhil ego in occulto ágere soleo.* —

Vocabulum *occulto* male occultatur et deprimitur; lege:

*Nil in occúlto ego ágere soleo.* —

Non dissimile vitium infra III. 3, vs. 85 hucusque fugit editores; ibi legendum:

*Afférre non se pétere hic dicet.*

---

IV. 3 vs. 22.

*Pótius majori honori hic essent, quam mores mali.*

Sic vulgo, numeris nullis. Hermannus:

*Pótius majori éssent hic honóri, quam morés mali.*

pereunte caesura. Weisius:

*Májori hic honóri potius éssent, quam morés mali!*

versu optimo, sed nimis violenta haec videtur in mutando verborum ordine ratio. Vide igitur an eamdem versui gratiam conciliare liceat lenissima mutatione, hoc modo: *Pótius in majóri honore hic éssent, quam morés mali.* Praepositionem *in* quod inserui, id nemini audaciae nomine displicebit; sequitur enim litera *m*, quae in Codd. vix discerni potest ab *in*.

---

V. 2 vs. 60: Hunc versum aliter inter personas distribuendum credo. Ajunt imperfectam relinqui Charmidis orationem; at non est ex consuetudine scriptorum, neque ex sana ratione, ut sententia ita relinquatur imperfecta, ut non possit intelligi, quomodo sit supplenda. Igitur ego hic legerim:

CH. *quamquam tibi succénsui,*
*míseria una uní quidem homini est áffatim* CA. *Imo huic*
*ést parum;*
*nám si pro peccátis centum dúcat uxorés parum'st.*

Apparet non serio loqui Calliclem, sed jocari magis.

Digitized by Google

# TRUCULENTUS.

I. 1 vs. 71:

*Quid istí suppositum puerum opus pessumae?*

Ut plenus sit pedum numerus, et sententia sibi et cum reliqua oratione constet, legendum fortasse:

*Quid istí suppositum púerum opus erat péssumae?*

---

I. 2 vs. 52:

*Procáciores éstis vos, sed illí perjuriósi.*

Citat hunc versum Herm. Elem. p. 156, ut ostendat in hoc versuum genere, ubi caesura est in fine quarti pedis, non semper purum servari jambum. Hoc tamen loco, me judice, particula *sed* elegantius abesset. Infra vs. 91 conjicio:

*Eja! haúd ita res est.* D. *aín'tu, illam me amáre?* As. *Imo unice únum.*

et II. 2 vs. 21:

*Ne áttigat me.* St. *Téne tangam? íta me amabit sárculum.*

---

IV. 2 vs. 21:

*Sine vicissim, quí dant operam, ob id, quod dant, operis útier.*

Recte jam Lambinus vidit *operam* insititium esse. *Qui dant* sc. *pecuniam.* Hunc secutus est Weisius, versumque ita sanare conatur:

*Sine, qui dant, ob id vicissim, quód dant, operis útier.*

Digitized by Google

Sed receptum verborum ordinem tam penitus immutare et temerarium est, nec h. l. necessarium. Legerim: *Sine vicissim, qui dant, ob illud, quod dant, operis itier.* Mox versu 45 repono: *Egone ut haec mihi patiar fieri?*

---

His ad Plautum adnotatis subjicio quaedam de fragmento a Fulgentio v. *oriam* citato ex Plauti *Kakisto:*

*malo hunc alligari ad oriam,*
*ut semper piscétur, etsi sit tempestas máxuma.*

Nescio utrum aliunde etiam constet de hac Plauti Comoedia, an hic unicus sit locus, ubi *Kakisti* fabulae mentio fiat. Quodsi Fulgentii auctoritati nulla alia accedat, non satis est causae, cur credamus Plautum umquam hoc nomine fabulam dedisse; nam idem ille Fulgentius, voce *Stega*, *Chrysalum* vocavit, quae vulgo audit *Bacchides*, quoniam in ea comoedia servus Chrysalus primas partes agit. Quidni igitur dicamus, Fulgentium hic quoque a nomine servi primas agentis *Kakistum* dixisse fabulam; cum praesertim hoc servi nomen ab Angelo Majo in codice Ambrosiano repertum sit inter Vidulariae reliquias; suspicio igitur est, hoc fragmentum ex Vidularia esse desumptum, cujus fabulae argumentum, ut videtur, multum versabatur in rebus piscatoriis. cf. fr. 15.

Digitized by Google

# TERENTIUS.

Digitized by Google

Digitized by Google

# ANDRIA.

I. 1 vs. 25:

*Libérius vivendi fuit potestas (nam antea,*
*Qui scíre posses, aút ingenium nóscere).*

Bentlejus versus causa scripsit: *libera vivendi fuit potestas*, quam conjecturam summo jure repudiat Reinhardtius. In adverbio *liberius* non est urgenda vis comparativi; habet enim h. l., ut saepe, eam vim, quam reddas licet per *paulo liberius*, vel *aliquanto liberius*, quod idem jam monuit Donatus, immerito a Bentlejo reprehensus. Contra quod hic voluit: *libera vivendi potestas*, id multo magis ineptum est. Recte Reinh. » libera vivendi potes» tate memo caret, nisi qui capitis damnatus est.» At vir magnus attulit locum ex Ciceronis oratione Antequam iret in exsilium: *libera facta est mihi potestas loquendi*, qui locus tamen in mea editione non legitur; sed legitur ibi § 25: » Sed quoniam neque mihi libere loquendi, neque » vobis clementer audiendi —— facta est potestas." et § 17, » loquendi libere non habeo potestatem." Quid igitur? Pronuntiabimusne cum Reinhardtio (p. 212) *libríu vivendi?* Absit ut ejusmodi licentiam nullo exemplo comprobatam Terentio affingamus. Recte Bentlejus: » Omnes » immodulate, et qui *viendi* dissyllábon; et qui *Potetas* » secunda brevi; et qui *Libriu*, ut dactylus sit; vel, ut » quidam, *Liberyu'*, quo pacto creticus fiet loco anapaes-

Digitized by Google

» ti." Pronuntiandum igitur: *Libérius vívendi*, nam illud *liberius*, quod h. l. elegantissimum est, nullam movet vitii suspicionem; *vívendi* autem, si recte habet (neque est causa, cur suspectum habeamus) ultimam melius elidit, quia primam in ictu habet (cf. Bentl. ad Ter. Adelph. IV. 2 vs. 52); in voc⁰. *fuit* igitur vitium latere videtur, quoniam extrema quoque verba (*potéstas*, *nam ántea*) senarium claudunt egregie, nec ullum habent corruptelae indicium. Vide igitur an Terentius scripserit:

*Libérius vivendi érat potestas, nam ántea.*

Quoniam praecesserat perfectum *excessit*, librarii h. l. reposuisse videntur *fuit*, quod tamen non opus erat; imo optime se habet haec temporum diversitas. Plaut. Poen. III. 1 vs. 5:

*A'tque equidem hercle dédita opera amicos fugitávi senes.*
*Scíbam aetate tárdiores, métui meo amicó moram.*

Vir doctissimus, cujus saepe jam facta est mentio, se conjecisse dicit:

*Libérius vivere fúit potestas, nam ántea,*

quod mihi quoque olim in mentem venerat; sed quemadmodum librarius latinitati metuens hanc lectionem fortasse mutavit, sic ego quoque ita reponere non audebam; nunc vero, cum hujus viri auctoritate et consensu haec conjectura comprobetur, atque etiam, si ita scripseris, corruptelae causa manifestior sit, non amplius dubito hanc conjecturam illi subjicere.

---

I. 3 vs. 20:

*Mí quidem non fit vérisimile; at ípsis commentúm placet.*

sic versum ordinavit Bentlejus; sed cum tota haec scena constet numeris jambicis, mihi quidem non fit veri-

Digitized by Google

simile, Terentium hic unum trochaicum inseruisse. Legendum videtur:

*Mihí quidem non fit vérisimile; at ípsis commentúm placet.*

*mihi* habent etiam codices.

---

IV. 2 vs. 32:

*Quaprópter? — Ita facto est opus.— Matúra. — Jam inquam hic ádero.*

Sic Bentlejus, hac subjecta adnotatione: » Nostri quidem » omnes *Facto opus est;* cui lectioni est qui faveat con- » tra Faernum; sed ut versui, inquit, consulatur, inse- » rendum *At:*

*Qua própter ita facto ópus est. At matura.*

» Sane optime versui consultum est: si consulere est ju- » gulare. Quid? an *opus est at* corripiet *est* in ea sede? » ut fiat Paeon quartus? Non opinor hoc dicere sustine- » bit?" Scilicet in versibus Hipponacteis pedem quartum puro semper jambo constare oportere putabat Bentlejus. At non necessarium hoc esse docuit Hermannus Elem. p. 151 sq. allatis ex ipso Terentio duobus versibus, ubi Bentlejus in sede quarta anapaestum et proceleusmaticum esse sivit. Non temere igitur repudianda est viri docti conjectura, *at* inserentis, quoniam omnes codices et Faerni et Bentleji hunc ordinem servant: *opus est;* qui ordo propter accentum melior est, quam, ut Faernus dedit: *est opus.* Infra quoque V. 4 vs. 53 legitur *At matura* vel ut T. Faber conjecit: *At mature.*

---

V. 4 vs. 25:

*I's ibi mortuus est* Ch. *Ejus nomen?* Cr. *Nómen tam cito?* P. *Phánia.* Ch. *Hem Perii!* Cr. *verum hercle opinor fuisse Phániam: hoc certó scio Rhamnúsium, etc.*



Digitized by Google

Sic dedit Bentlejus. In versu primo illud *Phania* Critoni tribuerat Donatus, quod falsum esse ostendit Bentlejus ad h. l. Sed ex ejusdem Donati commentariis patet, fuisse olim, qui non Critoni, sed Pamphilo tribuerent, idque amplexus est Bentlejus. Mihi neutrum probatur. Nam nulla causa erat Critoni, cur hoc nomen submissa voce pronuntiaret; *scilicet adhuc dubitans, an ipse sit*, inquit Donatus. Sed in seq. etiam versu pariter dubitat an ipse sit, et tamen libere opinionem suam profitetur. Nec Pamphilo recte datur, quippe qui non ausus fuisset Critonem, praesente patre, submonere. Vid. supra vs. 15:

PA. *Ní metuam patrem, hábeo pro illa re illum quod moneám probe.*

neque ista Pamphili monitio potuisset facile Simonem suspicacem latere, cum praesertim ita illud nomen pronuntiet, ut et Crito et Chremes exaudiant. Infra demum vs. 40 sqq. Critonis memoriae succurrit Pamphilus, quem locum cum hoc nostro conferas velim. Has ob causas non credo recte a Bentlejo hunc locum esse constitutum; sed accedit etiam aliud argumentum. Codices longe plurimi, in quibus Bembinus, liber optimae notae, hîc habent: *Nomen tam cito* TIBI? *Phania Hem.* Suspicor illud *Phania* casu quodam in textum irrepsisse, quo demto et versus evadet optimus, et sensus luculentissimus, modo sua cuique personae restituantur:

*I's ibi mortuus ést.* CH. *Ejus nomen?* CR. *Nómen tam citó tibi.* PA. *Hem Perii!* CR. *verum hércle opínor fuisse Phániam: hoc certó scio. etc.*

Pamphili sunt *Hem perii!* metuentis ne Critonem deficiat memoria. Et *perii* quidem jam Donati tempore dabatur Pamphilo, quamquam male explicat magister: » *Perii.* Hoc Pamphilus post iracundiam patris."

Digitized by Google

# EUNUCHUS.

Prol. vs. 25:

*Colacem ésse Naevi et Pláuti veterem fábulam.*

In hoc versu incertum est, utrum post *Naevi* an post *Plauti* sit distinguendum. Illud quam inepte fiat, egregie ostendit Bentlejus; hoc quominus statuamus, impedit numerus singularis; debuisset enim poeta in plurali *veteres fabulas;* nunc enim hoc dicere videtur Terentius, Naevium et Plautum conjunctâ operâ unam scripsisse fabulam, quod non est verosimile. Bentlejus igitur, ut his difficultatibus in posterum liberaremur, reposuit:

*Colacem ésse nempe Pláuti veterem fábulam.*

quae conjectura audaciae nomine displicet; Hermanno quoque illud *nempe* h. l. frigere videbatur. Suspicor Terentium scripsisse:

*Colacem ésse Naevi aut Pláuti veterem fábulam.*

hoc sensu: »dixit adversarius, exstare Colacem Naevi »aut Plauti (nam cujusnam dixerit, non satis memini) »veterem fabulam nescio quam." Artificiose Terentius, ut solet, jam nunc indicat, se, eam fabulam prius Latinam factam esse, omnino ignorasse, ut mox auditores fidem sibi habeant facilius, *perneganti, se scivisse, eas fabulas* (Eunuchum et Colacem) *factas prius Latinas. Veterem*, adeoque *ignotam.* Diffidit igitur poeta quasi memoriae suae, plane ut in Andr. I. 1 vs. 59: *Phaedrum aut Cliniam aut Niceratum dicebant*, ad quem locum



Digitized by Google

vide Bentl. Particulae *et*, *aut* in Mss. interdum confunduntur. cf. Bentl. ad Hor. Sat. II. 3 vs. 216. Pertinet autem hic versus ad eos, qui actione et pronuntiatione erant adjuvandi.

---

Prol. vs. 38:

*Parasítum edacem, glóriosum mílitem.*

Hic versussententiae seriem turbare et corrumpere videtur; id ipsum enim Terentio objecerat adversarius, quod *parasiti* et *militis* personam a veteri poëta furatus erat. Sententia ita cohaeret: Luscius dixit me parasiti et militis personam a Plauto abstulisse; fac ita esse. Quid tum postea? Num hoc vitio mihi vertetur? Haud licebit igitur caeteras quoque personas comicas a veteribus jam usurpatas denuo inducere, servos currentes, bonas matronas, meretrices malas etc. Vides inepte hic fieri parasiti et militis mentionem, ad quorum exemplum reliqua exigit. Offendit quoque nonnihil numerus singularis, cum *servos*, *matronas* et *meretrices* plurali numero dixisset. Non tamen ausim hunc versum textu movere, cum non satis appareat interpolandi causa; nisi dicas fortasse ex Heaut. prol. vs. 38 *parasitum edacem* desumsisse librarium, deinde ex hoc prologo (vs. 31) adjecisse *militem gloriosum.*

Digitized by Google

# HEAUTONTIMORUMENOS.

I. 1 vs. 20:

*At enim dices, me quantum hic operis fiat poenitet.*

Hujus versus optime se habet sententia, numeri vacillant. Codices nihil fere mutant, nisi quod liber Bembinus omittit pron. *me*, pauci quidam alio ordine legunt: *At dices enim.* Bentlejus ejecto *dices*, senarium restituit. Cur autem hoc vocabulum ejecerit, tres dedit causas, quas age paulo accuratius consideremus. 1°/ » Vocabulum » *dices* in Codd. incerti laris est." At nulla in re major deprehenditur codicum inconstantia, quam in ordine verborum. In singulis fere versibus hic vel ille codex paulo diversum a vulgata lectione praebet ordinem. Hoc igitur argumentum ita demum vim quamdam habet, si alia graviora accedant. 2°/ » Apud Servium ad Virg. Ecl. » II. 34 h. l. citantem, illud *dices* nusquam comparet." At consulto ille omisisse videtur voc., quod nihil faciebat ad rem, et ex tota orationis serie demum recte intelligi potest. Quid quod omisit etiam *me*, cujus omittendi nulla erat causa? Deinde commentarii Servii valde mutilati ad nos venerunt. 3°/ » *Dices*, si hic maneat, » et incommodo est et perniciei; quippe Chremes quidem » hoc dixerit, Menedemus minime omnium. Si ipse fa- » teatur, poenitere se, quantum operis fiat, cur non ipse » cessans servos urget, ut plus fiat? cur prave et inuti-

Digitized by Google

» liter stulto suo labori insudat?" Atqui iisdem plane argumentis utitur ipse Chremes, ut ostendat hanc objectionem, quam sibi finxerat, vanam esse et nihili, neque ea se defendere posse Menedemum. Chremes enim Menedemi in labore adsiduitatem miratus, quia nullam ejus reperiebat causam probabilem, ipse excogitavit causam minus probabilem, ut, ea refutata, omnia effugia Menedemo essent obstructa. Vides Bentleji conjecturam, quod quidem ad sensum adtinet, non esse necessariam. Ita enim concluditur: *Voluptati* haec certe non sunt tibi; *utilitatem* igitur praetendes fortasse; at ne *utilitas* quidem in ea re ulla est; nullo modo igitur tuam agendi rationem potes defendere. Haec conclusio, quae in vulgata lectione luculenter apparet, perit, admissa Bentleji vel potius Mureti conjectura. Quin si ex Mureti sententia legeris: *At enim me quantum hic operis fiat poenitet*, vis particularum *at enim* plane corrumpitur, et sensus ipse pessumdatur; nam profecto hoc est nimis curare aliena, et importunitas verius quam amica monitio, si Chremes se non contentum esse dicat eo, quantum operis fiat in agro Menedemi. Nos igitur circumspicere debemus ejusmodi lectionem, qua et servetur ea sententia, quam habet vulgata, et versus intra legitimos terminos coerceatur, neque obscura etiam sit corruptionis causa. Ecce tibi ipsa Terentii manus:

*At enim te quantum hic óperis fiat poénitet.*

Hanc lectionem explicantes librarii scripserunt: *At enim dices me etc.*, neque poterant melius. *At enim* is dicit, qui objectionem adversarii vel suis vel ipsius adversarii verbis affert. Sexcenties ita Cicero in orationibus. cf. in Verrem I § 15: *At enim haec ita commissa sunt ab isto* i. e. *at enim dices haec ita etc.* Vid. etiam pro P. Quintio § 65, pro Roscio Comoedo § 32. Divin. ad Q. Caec. § 22

Digitized by Google

etc. Ipse Terentius Adelph. V. 3 vs. 44: *at enim metuas* i. e. *at enim dices, metuam.* Horatius Tursellinus de particulis c. 35: » *At enim* in anteoccupationibus frequens » est. Cic. II. Philipp. 2: *at enim te in disciplinam* » *meam tradideras* i. e. *At dices, te in disciplinam meam* » *tradidisse.*" Haec cum ita disputassem, postea vidi jam ante Bentlejum ita conjecisse Guyetum, monente et comprobante J. F. Gronovio ad Plauti Trin. II. 2 vs. 39. Sed vel sic tamen quae scripseram non delenda duxi; nam verae etiam conjecturae interpretum diligentiam saepe effugiunt, nisi longa oratione commendentur; quod accidit etiam Guyeto, viro ingeniosissimo, cujus praeclarae passim ad Terentium conjecturae vix quemquam adverterunt, quoniam uno plerumque verbo conceptae sunt. Caeterum genus loquendi: *poenitet me, quantum fiat*, plurimis exemplis illustravit Gronovius l. c.; quibus addi possis Cic. Orat. § 130: *me enim ipsum non poenitet quanta sunt*, ubi pariter atque in loco Plauti, expungenda est particula *non.*

---

I. 2 vs. 2:

*Ét illam simul cum núntio tibi ádfuturam hodié scio.*

vocab. *hic* in plerisque Codd. comparet, et servari potest, si legas:

*Ét illam simul cum núntio hic tibi ádfuturam hodié scio.*

quo pacto in *nuntio* ultima coalescit.

---

II. 3 vs. 94:

*Longum'st Clitipho,*

*Si tibi narrem quámobrem id faciam: véra causa est.*

*vera causa est:* — haec non intelligo; legendum videtur: *verum causa est;* sic melius cohaeret oratio.

Digitized by Google

III. 1 vs. 72 sq.

*Quantam éii fenestram ad nequitiam patefeceris?*
*Tibi aútem porro ut nón sit suave vivere:*
*nam déteriores ómnes sumus licéntia.*

In versu primo Bentlejus inseruit pron. *eii; fenestram* contracte pronuntiabat *festram*, ut semper Plautus. Sed non credo correctores versui timentes ejecisse *eii*; scripsissent potius *ei* una syllaba: et ita quoque Terentius scripsisse potest; nam licet Plautus ter contraxerit, potuit tamen Terentius legitimam sequi pronuntiationem; illud *festram* vel *fenstram*, fortasse plebis fuit magis quam honestiorum civium. Sed hoc incertius est. Sequens autem versus male me habet. Particula *ut* h. l. nihil aliud esse potest, quam conjunctio causalis pro *ita ut*; sic tamen explicare nequeo illud *autem*. Dixerat per exclamationem: *Quantam ei fenestram patefeceris!* Exspectaveris eodem modo pergi: *tibi autem porro vita quam manet misera!* vel simile quid. Nolim tamen hic scribere: *Tibi aútem porro ut nón erit suave vívere!* Nam sic mirifice languet illud *non-suave* pro *miserum*, Vide etiam quam arcte cohaereant vs. primus et tertius, quorum hic causam illius continet et explicationem. Interposito autem versu medio, particula illa causalis (*nam*) non habet, quo apte referatur. Denique in vs. 77 demum a filio ad patrem transit oratio. Videant igitur alii, utrum versus iste: *tibi autem etc* delendus sit (equidem lubens deleverim), an conjectura sanandus. Mox vs. 77 legendum videtur: *Tu et rém perire et ipsum non poteris pati.*

---

IV. 3 vs. 44:

*A'go age, traducátur Bacchis.* Sy. *Optume, ipsa exit foras.*

In meis editionibus omnibus distinguitur post *optume*;

Digitized by Google

nescio an recte. Ego malim sine distinctione: *optume ipsa exit foras;* cf. mox IV. 5 vs. 9 *Syrum óptime eccum.* V. 5 vs. 2 *Optume ipsos video.* Andr. II 1 vs. 35 *Davom optume video.* Plauti Amph. III. 3 v. 2 *O'ptume advenis* etc., in quibus exemplis omnibus *optume* idem est quod *opportune.*

---

IV. 4 vs. 5:

*Aut cùm venturam dixero et constituero; cum is certe renúntiarit, Clítipho cum in spé pendebit ánimi.*

Bentl. ad h. l. »Lege cum Goveano et Guyeto *certo* non »*certe.* Lege etiam *Renuntiabit* ut *Pendebit.*" Imo serva utique *Renuntiarit*, ut *Dixero* et *Constituero*, quae omnia actionem momentaneam indicant; et recte quoque *Pendebit* non *Pependerit*, quod ineptum adeo foret; nam quae hoc verbo comprehenditur actio, non uno momento absolvitur. Hoc ego non notassem, nisi vidissem editores h. l. Bentleji auctoritati nimis fuisse addictos.

---

IV. 6 vs. 1 sq.

*Nulla ést tam facilis rés, quin difficilis siet,*
*Quam invítus facias.*

Leve in his verbis vitium hucusque latuit interpretes. Ut verba se nunc habent, ita forent jungenda: *Nulla res, quam invitus facias, tam facilis est, quin difficilis sit*, sententia absurda. Vides, opinor, legendum esse: *quom invitus facias.*

---

V. 3 vs. 8:

So. *Ego néscio?*

Ch. *Imó scis potius quam quidem redeat ad integrum haec eadem oratio.*

Digitized by Google

Bentl. » Nec metrum, nec sententia huic versui constat; » *Hæc* in nullo ex nostris est. Repone:

*Immó scis potius, quám quidem redit ad íntegrum eadem orátio.*

» Scias an nescias, perinde est. Ad integrum redit eadem » oratio, sive scire te hoc dicam, sive nescire. Una eadem- » que oratio est in re tua, *scire* et *nescire*." Scripsit igitur Bentlejus *Redit* pro *Redeat*, distinxitque post *Potius*, versui egregie consulens, sed sententiam, me judice, penitus evertens. Primum *ad integrum redit* explicavit *eodem redit*, *perinde est*, cujus usus priusquam certissimum mihi afferatur exemplum, non credam *ad integrum redit* hoc sensu Latine dici. Deinde *quam* videtur accepisse pro *ut*, θαυμαστικῶς: *quam redit! Ut redit!* signumque interrogandi temere in notis videtur adhaesisse, recte in textu omissum. Miror tamen nonnihil h. l. istam Chremetis exclamationem. Nec placet pronomen *eadem*; ex Bentleji sententia Chremes multo melius dixisset *utraque oratio*; nam revera *duae* sunt orationes plane contrariae, utrum scire eam diceret, an nescire. Postremo (quod multo gravissimum est), recepta Bentleji lectione et interpretatione, non potest explicari versus sequens, in quo Sostrata ad virum: *iniquus es*, inquit, *qui me tacere de re tanta postules.* Ubi enim aut quibus verbis hoc postulaverat Chremes? Jam vide, quam egregie huic loco conveniat Faerni interpretatio, probata etiam a Daceria: Sostrata per interrogationem dicente *Ego nescio?* Chremes, *imo*, inquit, *si ita mavis*, *scire te fateor; id enim concedere malo*, *quam mihi ex integro eamdem orationem exhibeas*, *qua tu modo aures meas obtudisti.* Quibus verbis cum aperte declaret senex, se nolle uxorem diutius audire, id ipsum illa conquerens, *iniquus es*, inquit, *qui me tacere de re tanta postulas.* Vim autem hujus versus melius etiam

Digitized by Google

intelliges, si fingas Sostratam jam antequam in scenam prodiisset intus maritum suum objurgasse. Haec igitur simplicissima et maxime naturalis est hujus loci interpretatio, quam non corrumpi et offuscari, sed adjuvari conjectura et corroborari oportet, eademque opera versum pede abundantem emendari necesse est. Haec omnia consecutus fueris, si pro *ad integrum* scripseris *de integro*: *Imó scis potius quám quidem redeat de íntegro eadem ordtio.*

So. *Oh!*

*De íntegro* saepe apud nostrum, *ad íntegrum* ne semel quidem. Sed dices fortasse violentiorem hanc esse conjecturam, nec esse credibile, librarios notiorem formam *de íntegro* in minus notam *ad íntegrum* commutasse. Restat igitur ut luculento exemplo ostendam *de* et *ad* in Mss. facile confundi potuisse. Apud nostrum Andr. I. 2 vs. 18 ante Bentlejum vulgo legebatur:

*Nunc híc dies aliám vitam adfert, álios mores póstulat.*

omnes omnino libri Mss. hanc lectionem constanter tuebantur; nec quisquam erat, qui vitium odoraretur; donec Bentlejus ex Cicerone veram lectionem protulit:

*Nunc híc dies áliam vítam defert, álios mores póstulat.*

qua lectione et numeri et sensus tam egregie sutentantur et eriguntur, ut prorsus dubitari non possimus, quin sic Terentius scripserit. Quid inter utramque lectionem interesset quod ad numeros, egregie docuit Bentlejus; sed ad sententiam quoque ipse vides, multo elegantius esse *defert*. Nam *adfert* h. l. significaret *sponte sua dat* etiam nolente et invito filio, quod et per se ineptum est, et quia sequitur in vs. 19 illa ad Davom admonitio, *ut filius jam redeat in viam*, quae sic plane esset supervacanea; *defert* contra idem fere est quod *mandat*, *suadet*, *commendat*, idque sensus ipse requirit et sequens *postulat*. Eo igitur loco, absque Cicerone esset, etiam hodie legeremus

Digitized by Google

*adfert;* cur igitur h. l. non licebit pro *ad* reponere *de?* An quia huic lectioni in Cicerone nullum est praesidium? Scilicet nusquam ille nostrum locum citavit; alioquin tota haec mea disputatio fortasse fuisset supervacua. In Plauto quoque Epid. V. 1 vs. 1 supra ostendi, pro *qui de* legendum esse *qui a* versu jubente. Et ibi quidem unus Codex optimae notae praebet *quid*, corruptelae originem declarans. Mox vs. 10 distinguendum videtur post JAM.

Digitized by Google

# ADELPHI.

I. 1 vs. 18: *et quod fórtunatum isti putant, uxórem numquam habui.*
Donatus ad hunc versum: » Romani scilicet, qui *coelibem* » quasi *coelitem* dicunt. Et item Graeci, apud quos sunt » hujusmodi sententiae:
ΓΑΜΕΙΠΑΜΦΙΛΟΣΓΑΜΕΙΤω ΚΑγΑΡΙΔΗΑΙΚΗ-
[*CeNME.*
Corruptam sententiam jam alii credo emendaverunt. Mihi praeterea versus videtur esse trochaicus, ita restituendus:
*Πάμφιλος γαμεῖ. — Γαμείτω : καὶ γὰρ ἠδίκησέ με.*
Apparet duas hic loqui personas. In eamdem sententiam est versus, quem habet auctor ad Herennium II. § 39: *Miseri sunt qui uxores ducunt.* cf. etiam Plauti Trinumm. V. 2 vs. 60—62.

V. 3 vs. 38:
*Duo cùm idem faciunt, sáepe ut possis dícere,*
*hoc licet impune fácere huic, illi nón licet.*
sensus impeditior. Verba grammatice ita jungenda videntur: (*ita*) *ut saepe possis dicere, cum duo idem faciunt, hoc licet etc.* Sed accentûs causa in versu altero scribere malim:
*Huic licet impune fácere hoc, illi nón licet.*
Ut magis exaudiatur *huic.* Nam vocabula quae in prin-

Digitized by Google

cipio versuum ponuntur, extra ictum metricum, saepe tamen pronuntiando acuuntur; quam rem tetigit jam Bentlejus in schediasmate. Adjiciam duo exempla ex Plauto desumta, unde hujus accentûs vis manifesto apparet. Most. I. 1 vs. 1 et 5:

*Exi é culina sis foras mastigia.*

*Exi inquam, nidor, e culina. Quíd lates?*

Pronuntia *éxi e* et *éxi inquam*, non *exi é* et *exi inquam*. Aul. I. 1 vs. 1:

*Exi inquam, age exi exeúndem hercle hinc tibi ést foras* (*)

Pronuntia: *éxi inquam, age éxi.* Sic autem non apud Romanos tantum, sed apud recentiores quoque populos.

(*) Sic ibi legendum. Goellerus male ejecit verba: *hinc* et *foras*, hiatum inducens.

Digitized by Google

# HECYRA.

II. 1 vs. 16:
*Tu sóla exorere, quae perturbes hâec tua imprudéntia.* Miror Bentlejum plurimorum codicum lectionem *impudentia* contemsisse prae ea, quam tres libri praebuerunt: *imprudentia*, quod mihi quidem videtur dictum clementius a sene iratissimo. Quam enim modo (vs. 7) satis certo se scire dixerat *malitae esse magistram*, cujus pro factis *nullum dictum illa dignum* reperiri posse contenderat (vs. 12), ei nunc nullam culpam exprobraret, sed imprudentiam tantum? et eo verbo usus esset senex exasperatus ad exprobrationem, quo ipsa mulier uti potuisset ad excusationem? Nam recte Donatus infra ad IV. 1 vs. 18: » *imprudentia* in delicto veniam frequenter extorsit." Noli dubitare, quin verum sit *impudentia*. Senex enim, quo magis in conviciando progreditur, eo magis, ut fit, exasperatur, et in extrema oratione utitur voce paulo acerbiori, ut iis, quae dixerat, quasi cumulum adjiceret. Mox quoque versu 32 uxorem aperte *culpae* insimulat, rogatque in versu 34, an non *pudeat* cum puella anum suscepisse inimicitias; hoc ergo ex sententia Lachetis erat impudentia. At enim » *impudentia* non est humani viri dic» tum erga uxorem." Quam vero humane Laches infra vs. 36 ad eamdem uxorem:
*De te quidem — peccando detrimenti nil fieri potest!*
quocum cf. vs. 41 sqq., in quibus sane nulla *imprudentia*

Digitized by Google

arguitur. Quin Donatus cum ad vs. 45 dicat: »Et *im-*
» *pudentiam* socruum *impulsús* repetitio demonstravit," manifesto ad h. l. respexit. Sed Bentlejus versui timens sententiam minus videtur attendisse. Ita ille: »Tres ex » nostris *Imprudentia*. Recte; neque enim versus amat in » ea sede Trochaeum." At paulo ante versu 5 legitur: *pertinaciast* et vs. 18 *arbitramini* in versus fine, et sic saepe.

---

III. 1 vs. 37:
*Pro Júpiter, clamórem audivi.* PA. *túte loqueris, mé vetas.* Codices fere omnes *audio*, quod mihi quidem h. l. multo videtur accomodatius. Suspicor illud *audivi* a correctore esse metri perito; saepe enim in libro Bembino (cujus est haec lectio) apparent vestigia ejusmodi correctoris, vel potius corruptoris. cf. Bentl. infra ad III. 3 vs. 13 ad Andr. I. 1 vs. 76 ad Heaut. II. 3 vs. 94, II. 4 vs. 11, V. 2 vs. 7 ad. Ad. III. 4 vs. 34, IV. 5 vs. 32, IV. 7 vs. 35, V. 3 vs. 55 et praesertim ad Phorm. V. 1 vs. 32. Illud *audivi* igitur librarii conjecturae tribuo, non Terentio, quem scripsisse credo:
*Pro Júpiter aúdio clamorem etc.*
Andr. III. 1 vs. 6: *O Jupiter, quid ego audio!*

---

IV. 4 vs. 25:
*Non* MIHI *illud factum minus* DOLET, *quam* TIBI, *Lache.* Sic dedit Bentlejus ex conjectura. Libri enim omnes: *Non* TIBI *illud factum minus* PLACET *quam* MIHI, *Lache.* Audacissima sane conjectura. Videamus igitur an non defendi possit vetus lectio. Scilicet duplici modo accipi potest locutio illa, *non tibi illud minus placet, quam mihi;* primum, ut *non minus* idem sit, quod *aeque vel*

Digitized by Google

***plus;*** atque ita cepit Bentlejus, et jam ante Donatus, qui mala hac interpretatione irretitus, satis commode tamen se expedivit, ad εἰρωνείαν confugiens. Injuria igitur a Bentlejo reprehenditur magister egregius, quasi is ***placet*** idem significare putaverit ac ***displicet;*** nam ea est ironiae natura, ut aliud dicas, aliud intelligas. Altera hunc versum explicandi ratio est, ut ***minus*** arctius conjungatur cum verbo ***placet***, ita ut locutio illa: ***non tibi illud minus placet*** idem significet, quod ***non tibi illud magis displicet.*** Et haec quidem mihi vera videtur loci interpretatio, quam suadet etiam ipsa verborum collocatio. Sic sententia perspicua est, nec quidquam mutare est opus.



Digitized by Google

# PHORMIO.

l. 3 vs. 20 sqq.
*At tú mihi contra núnc videre fórtunatus, Phaedria, cui de íntegro est potéstas etiam, cónsulendi, quíd velis; retinére, amare, amíttere: ego in eum incidi infelíx locum, ut néque mi ejus sit ámittendi, néc retinendi cópiam.*
Ingeniose Bentlejus, et vere, ni fallor, in versu 23 pro *amittere* scripsit *an mittere* nam » post *consulendi, con-* » *sultandi, deliberandi*, sequi debet *Utrum, An, Ne,* » ut Hec. III. 5 vs. 59 et Adel. II. 1 vs. 41." Dices fortasse *an* hic locum occupare incommodum; nam opponi sic duo illa *retinere amare* uni *mittere;* necessario igitur requiri copulam *et.* Recte hoc; et tamen vera est Bentleji conjectura, modo adjuvetur altera conjectura. Rogat Bentlejus (ut ostendat se jure mutasse vulgatam lectionem) » quomodo *amittere* potuit, quam nondum » habuit?" Vides idem valere de verbo *retinere.* Quomodo enim *retinere* potuit, quam nondum habuit? Ego quidem illud *retinere* h. l. explicare vix possum, haesitque etiam Donatus, dubitans utrum conjuncte legendum sit: *Quid velis retinere?* an cum sequentibus magis cohaereat verb. *retinere.* Concinnius etiam in hoc versu duo tantum sibi opponuntur, quemadmodum in versu seq., monente eodem Donato. Ne multa; legendum credo: *Retinere amorem an mittere*, quo pacto eam habebis concinnitatem, quam desiderabat Donatus, neque amplius offendes in particula *an.* *Amare* et *amorem* confusa etiam

Digitized by Google

sunt Plaut. Curc. I. 1 vs. 21; eodemque fortasse modo corrigendus etiam Plaut. Cist. I. 1 vs. 98. In versu autem sequenti Guyetus et Bentlejus ex Codd. reposuerunt *mi jus* pro *mi ejus*, quod mihi egregie placet; nam *ejus* nusquam referri commode potest; quippe uxoris mentio facta non erat, ntsi in vs. 17, qui locus paulo longius hinc remotus est, quam ut eo respici possit; quodsi *jus* scripseris, inest in illa sententia disjunctiva, quaedam argutia Terentio familiaris et digna. Andr. II. 1 vs. 20:

*Néque pol consili locum habeo, néque ad auxilium cópiam.*

Nec verendum est, credo, ne hic ex versu praecedenti ad verbum *amittendi* intelligas *amorem* (quod ipse olim metuens, conjiciebam h. l. *ut néque mi jus sit meam mittendi*); nam absolute quodammodo hic ponuntur *amittendi* et *retinendi* verba. Quae Burmannus ad Virg. Aen. XI. 699 n. 96 dixit, ad improbandam hanc lectionem, parum valent.

---

V. 8 vs. 87 *ex illo*. Ita mutavit Bentlejus, me non probante. *Ex illo* numquam de tempore praesenti dici videtur, ex vi pronominis *ille*, quo semper indicatur aliquid remotius.



Digitized by Google

# ADDENDA ET CORRIGENDA.

Pag. 1 vs. 2 *paucis* lege *primum*.
» 6 » 25 *Capediorum* » *Cupediorum*.
» 34 » 4 *captatur* » *captat*.
» 47 » 4 *syllabum* » *syllabam*.
» 71 » 19 Sic corrigendus quoque Pseud. IV. 6 vs. 4 ejecto voc. *Simo*.
» 83 » 16 His ipsis diebus affertur mihi Terentii Eunuchi editio, quam curavit Reinholdus. Inde comperi, Bothium quoque in prologi versu 25 conjecisse: *Naevi aut Plauti*, paulo aliter tamen locum interpretans; eumdemque virum ejecisse olim versum 28, mutata tamen postea sententia. Erunt fortasse alia etiam in hoc opusculo, quae ab aliis jam occupata sunt; sed, quantum in me erat, curavi, nihil ut dicerem, quod jam dictum esset prius.

Digitized by Google

# THESES.

## I.

Ad Homerum Iliad. XVI. vs. 667:

*Εἰ δ', ἄγε νῦν, φίλε φοῖβε, κελαινεφὲς, αἷμα κάθηρον*
*Ἐλθὼν ἐκ βελέων Σαρπηδόνα,*

vera est Jacobsii conjectura, pro ἐλθών legentis ἕλκων. Eodem modo jam antea emendaverat Bentlejus, non probante Ernestio.

## II.

Verba apud Platonem de Rep. I. pag. 334 D. *Πολλοῖς ἄρα ξυμβήσεται, ὅσοι διημαρτήκασι τῶν ἀνθρώπων, δίκαιον εἶναι τοὺς μὲν φίλους βλάπτειν· πονηροὶ γὰρ αὐτοῖς εἰσί· τοὺς δ'ἐχθροὺς ὠφελεῖν· ἀγαθοὶ γάρ.* non recte vertit Stallbaumius. Sententia haec est: *multis igitur accidet, qui judicio suo de hominibus falsi fuerint, ut justum iis sit amicos laedere, (nam improbos habent amicos); inimicos vero juvare, (habent enim bonos).*

Digitized by Google

III.

Male Hermannus Opusc. II. pag. 181, Pegasi fabulam etymologiae ope explicans, Germanicum navis nomen *Schiff* ipsum esse affirmat Graecum ἵππος.

IV.

Apud Plaut. Epid. III. 4 vs. 24 sqq. vulgo legitur:

MI. *Volo te verbis pauculis,*
*Si tibi molestum non est.* PE. *Non edepol scio.*
*Molestum non est, nisi dicis quid velis.*
MI. *Mihi illam ut tramittas: argentum accipias,*

qui locus ita corrigendus est:

*Non edepol scio,*
*molestum an non est, nisi si dicis quid velis.*
MI. *Mi illam ut tramittas, argentum accipias volo.*

V.

Quae leguntur in Plauti Poenulo post Act. V. Sc. 6, partim constant senariis, partim trochaicis tetrametris catalecticis; neque verum est, quod contendit Weisius: » nihil fere in iis inesse, in quo non contra melioris artis » leges peccatum deprehendas." Imo numeri sunt Plauto dignissimi.

VI.

In Plaut. Cas. II. 6 vs. 9:

*Tibi quidem edepol ita videtur: stimulus ego nunc sum tibi,*
EO DICO, CORCULUM ASSUDASSIT *jam ex metu.* — *Mastigia.*

corrigendum est: *Fódico corculum, assultascit.*

Digitized by Google

## VII.

In Terent. Eun. prol. vs. 9:

*Idem Menandri Phasma nunc nuper dedit.*

male Bothius reposuit:

*Idem Menandri Phasma nuper perdidit.*

Recentissimus autem Eunuchi editor legendum esse contendens: *Idem Menandri Phasma nunc nuper edit*, loco sano tria inflixit vulnera.

## VIII.

Verba Virg. Aen. I. vs. 17:

*Hoc regnum Dea gentibus esse,*
*Si qua fata sinunt, jam tum tenditque fovetque.*

spuria sunt.

## IX.

Apud Horat. Sat. II. 3 vs. 220, ubi legitur:

*Ergo ubi prava*
*Stultitia, hic est summa insania.*

pro *est* legendum videtur *et.*

## X.

In loco Horatii Ep. II. 2, vs. 87:

*Frater erat Romae consulti rhetor, ut alter*
*Alterius sermone meros audiret honores.*

Digitized by Google

non est probanda Bentleii conjectura legere suadentis: *Pactus erat Romae consulto rhetor*, etc.

## XI.

Accurata diversarum linguarum inter se comparatio magni est momenti, cum ad illustrandam historiam, tum ad melius intelligendam singularum linguarum naturam et indolem.

## XII.

Recte Plato in Timaeo p. 86 D et aliis locis, affirmat *neminem sua sponte malum esse*; κακός, inquit, ἑκὼν οὐδείς.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google